



# Dissertatio historica de Philopoemene Megalopolitano

<https://hdl.handle.net/1874/315546>

DISSERTATIO HISTORICA

DE

**PHILOPOEMENE MEGALOPOLITANO**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GERARDI JOHANNIS MULDER,**

MATH. MAG. PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARIAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS


IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**EVERARDUS JOHANNES VAN GORKOM,**  
*Zutphaniensis.*

A. D. XXVII M. JUNII A. MDCCCLIII, HORA III DIMIDIATA.



TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.  
MDCCCLIII.



AVO CARISSIMO

EVERARDO JOHANNI VAN DER VEEN

ET

AVUNCULO DILECTISSIMO

JOHANNI VAN DER VEEN.

*SACRUM*



## PRAEFATIO.

---

*Post triennium in multis negotiis actum quum tandem otii aliquid nactus essem, dissertationem scribere statui, qua legi Academicae satisfacerem. Quum autem diu de arguento deliberare tempus mihi non concederet, optime facturus mihi visus sum, si illum eligerem ex antiquitate virum de cuius vita et rebus gestis exponerem. Ne vero quis ideo existimet me talem laborem minoris fecisse, fateor me et in opere aggrediendo difficultates multas praevidisse et in confiendo magis etiam expertum esse, quanta doctrinae copia instructum esse oporteat qui vel minimam historiae partem recte ac diligenter tractare cupiat.*

*Quum igitur circumspicerem, quem virum potissimum deligerem, incidi in ea tempora, quibus Graeci pristino licet jam orbati splendore omnium tamen admirationem excitarunt nobili illa constantia, qua periclitantem libertatem a potentiorum dominatione defendere conati sunt. Mirabar, quum de tot viris illustribus peculiares libri scripti essent, neminem fere repertum esse qui Philopoemenem Megalopolitanum eo honore dignum habuisset. Quum igitur ab initio hunc virum magnopere admiratus essem ejusque incorruptam virtutem valde adamasse, operae pretium facturus mihi videbar, si in Philopoemenis vitam accuratius inquirerem, praesertim quum vulgo in historiarum operibus minus ei tribui existimarem quam ipsius res gestae poscere viderentur.*

*Quod igitur pro viribus praestare conatus sum benevolo animo accipite Vos imprimis, Ave carissime et Avuncule dilectissime! quos post immaturum parentum obitum quasi alteros parentes cognovi. Multa quidem deesse juvenili huic labori persuasum mihi habeo; at temporis mihi ad scribendum dati Vos certe rationem habituros confido.*

*Avide quoque hanc occasionem arripi, ut gratum*

*animum testificer erga omnes, qui opera sua viam ad artes doctrinasque mihi patefecerunt.*

*Nomine Vos compellare, Gymnasii Zutphaniensis Praeceptores doctissimi, Vos item, Athenaei Daventriensis Professores clarissimi! quorum innumera in me exstiterunt beneficia, supervacaneum existimo. Laus Vestra mea oratione major est; tantum precor, Deus O. M. Vobis rependat ea quae ego rependere numquam potero.*

*Neque minores Vobis, Academiae Rheno-Trajectinae Professores, V.V. Cll. quorum institutione vel in Literis Humanioribus et in Jurisprudentia vel in Mathematicis disciplinis frui mihi contigit, ex intimo pectore gratiae agendae sunt pro maximis beneficiis, quae in perpetuum me Vobis devinxerunt. Si quid in variis disciplinis profecerim, id Vestrae imprimis operae me debere grato animo profiteor. Utinam in posterum etiam consiliis illis salutaribus uti mihi liceat, quibus usque adhuc benevoli mihi adfuistis!*

*Te vero, Vir clar. KARSTEN, aestumatissime Promotor, quibus verbis alloquar? Oratio me deficiat, si humanitatem Tuam satis praedicare velim, qua auxilio mihi egenti numquam non subvenisti. Dignas*

*grates ne dicere quidem Tibi possim; at persuadeas  
Tibi velim beneficiorum Tuorum memoriam me usque  
ad extremam vitae aetatem conservaturum esse.*

*Vos tandem, amici! quorum consuetudo in hac  
Academia mihi et gaudio et usui fuit, ut eodem animo  
me prosequi pergatis enixe rogo. Vivite felices mei-  
que memores estote!*

# I.

---

PHILOPOEMENIS MEGALOPOLITANI historiam scripturus pauca praemittere de fontibus, quibus usus sum, necesse habeo.

Primum locum inter scriptores veteres, qui de illius aetate memoriae prodiderunt, tenet Polybius. Multa enim in magno ejus historiarum opere, cuius pars ad nos pervenit, inveniuntur, ad hoc argumentum pertinentia, quo magis dolendum, peculiarem librum, quem de vita institutisque Philopoemenis scripsisse se narrat<sup>1)</sup>, injuria temporis nobis eruptum esse.

---

1) Polyb. X, 24, 5, 6. Εἰ μὲν οὖν μὴ κατ’ ἴδιαν ἐπεποιήμεθα τὴν περὶ αὐτοῦ σύνταξιν, ἐν ᾧ διεσπαρούμεν, καὶ τίς ἦν, καὶ τίνων, καὶ τίσιν ὀγκωγαῖς ἐχρήσατο νέος ὁν, ἀναγκαῖου ἦν ὑπὲρ ἔκάστου τῶν προειρημένων φέρειν ἀπολογισμόν. Ἐπει δὲ πρότερον ἐν τρισὶ βιβλίοις ἐκτὸς ταῦτης τῆς συντάξεως τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ πεποιήμεθα λόγον, τὴν τε παιδικὴν ὀγκωγὴν διατυφοῦντες, καὶ τὰς ἐπιφανεστάτας πράξεις, δῆλον, κ. τ. λ.

Istam vero jacturam aliquatenus nobis compensat Plutarchus, qui in vita Philopoemenis opus desperditum Polybii in epitomen redegisse videtur. Nonnulla certe ex Aristocrate<sup>1)</sup>, rerum Laconicarum scriptore, vel etiam e rhetorum declamationibus desumssisse censendus est<sup>2)</sup>.

Pausaniam quoque e Polybio hausisse quae de Philopoemene refert, comparatione cum Plutarcho instituta, statim appetet; modo brevius omnia retulit multaque omisit.

Quo tempore Romani magis magisque rebus Graecorum se immiscere cooperunt, Livius primarius fons nobis exsistit; sed de eo idem judicium valet, siquidem, aequae ac ceteri scriptores, omnia fere, quae de Philopoemene narrat, vel e Polybii historiis vel e peculiari illo libro hausisse videtur.

Justinus, Polyaenus, Suidas, in voce Φιλοποιμην, nonnulla afferunt, quae tamen minoris sunt momenti.

Omnino igitur statuendum videtur, quae de vita

1) Plutarch. Philop. 16. De Aristocrate nihil fere constat. Scriptis autem Λακωνικά, Laconica, quorum librum quartum adducit Athenaeus III, pag. 82 E. Eundem citat auctorem Stephanus Byzant. in Ἀριστοκράτης, et vetus scholiastes Sophoclis ad Trachin. 270 (266 ed. Br.) cf. G. J. Vossius de Hist. Graec. pag. 506.

2) Philop. 2. Ταῦτα μὲν οὖν ἐν ταῖς σχολαῖς περὶ τοῦ Φιλοποιμένος λέγεται.

In Animadverss. ad Moral. Vol. I, pag. 306. Wytténbachius ita disseruit: „Vocabulum σχολή subinde ita usurpatur a Graecis et Latinis, ut significet dissertationem vel disputationem continua oratione „in schola a philosopho habitam sive dicendo sive legendō sive postea „conscriptam.” Cf. A. Westermann, Geschichte der Beredsamheit in Griechenland und Rom. II, 81.

Philopoemenis nobis tradita sunt, maximam partem  
e Polybii fonte fluxisse.

Ceterum de horum scriptorum meritis quum jam  
permulti luculenter scripserint, nihil est quod dicam,  
quare ad ipsum argumentum statim transibo.

## II.

PHILOPOEMEN Megalopoli in Arcadia natus est circa a. a. Chr. 253, quod conjicere licet e duobus Plutarchi locis. In vitae cap. 5. enim narrat, eum triginta annos natum fuisse, quum Megalopolis urbs a Spartanorum rege Cleomene oppugnaretur<sup>1)</sup>. Constat autem pugnam apud Sellasiam, quae insequenti anno<sup>2)</sup> post excidium illius urbis accidit, commissam esse a. a. Chr. 221<sup>3)</sup>.

Alterum argumentum nobis praebet Plutarchus cap. 18., ubi annum gerentem aetatis septuagesimum Philopoemenem a Messeniis interfectum esse memorat, quod, testante Livio<sup>4)</sup>, consulibus M. Claudio Marcello et Q. Fabio Labeone (a. a. Chr. 183) evenit.

1) Plutarch. Philop. 5.

2) cf. Polyb. II, 54, 55, 65.

3) cf. Droysen, Geschichte des Hellenismus, pag. 549.

4) Liv. XXXIX, 45, 50.

Nobili genere ortus, quum majores ejus inter Arcades claritate maxime excellerent, patrem habuit Craugidem<sup>1)</sup>, qui de vita decedens filium infantem admodum reliquit. Liberalis educatio ei non defuit, siquidem Cleander, vir nobilissimus ex urbe vicina Mantinea, gratus ob accepta beneficia hanc curam suscepit. Hic enim potens inter cives suos, quum fortuna adversa usus esset, in domum Craugidis, quocum summa familiaritate conjunctus erat, profugit. Ab illo hospite quum vivus omni genere officiorum cultus esset, ut vices rependeret hospitalitatis, mortui filium paeclaro et vere regio modo instituit<sup>2)</sup>.

Ut ad adolescentiam pervenit Philopoemen, sectari coepit Ecdemum<sup>3)</sup> ac Demophanem<sup>4)</sup>, qui genere Megapolitani, sed ob odium tyrannidis profugi, Athenis exsulantes, Arcesilai in Academia familiares fuerant. Hi philosophiam omnium aequalium maxime in vitae usum converterunt; facta enim conjuratione in Aristodemum<sup>5)</sup> tyrannum, patriam in libertatem vindicarunt; una cum Arato Nicoclem<sup>6)</sup>, Sicyoniorum tyrannum, ejecerunt, et Cyrenaeis invocantibus, quum eorum civitas seditionibus laboraret,

1) Philop. I. Pausan. VIII, 49, 2. Suidas in voce. Φιλοποίμην.

2) Philop. I. ἔθρεψεν αὐτοῦ τὸν μὲν δρφανὸν ὅντα, καθόπερ φησίν "Ομηρος ὑπὸ τοῦ Φοίνικος τὸν Ἀχιλλέα τραφῆναι, γενάλαι τινὰ καὶ βραυλικὴν τοῦ Ηθούς εὑθὺς ἐξ ἀρχῆς πλάσαι καὶ αὔξησι λαμβάνοντος.

3) Polyb. X, 25. Philop. I.

Plut. Arat. 5 et Paus VIII, 49, 2 habent "Εκδηλον.

4) Apud Pausaniam, l. l. et Suidam in voce legitur Μεγαλοφρανής.

5) De Aristodemo cf. Plut. Agis, 3 et Paus VIII, 27, 11.

6) cf. Plut. Arat. 5, ubi solus Ecdemus memoratur.

et intestina quasi tabe langueret, res composuerunt et libertatem reddiderunt<sup>1)</sup>). Idem id temporis in reliquis negotiis etiam Philopoemenis educationem sibi curae esse voluerunt, ut in communem Graeciae salutem philosophiae praeceptis excoherent adolescentem, qui haud dubie jam praecleari ingenii documenta dederat. Neque eorum opera irrita fuit. Talis enim evasit, ut eum auctore Plutarcho, "ὅσπερ  
δύσιγονον ἐν γήρᾳ, ταῖς τῶν παιλαῖν ἡγεμόνων ἐπιτεκνουσα τοῦτον ὥρεταις ή Ἑλλὰς, ἡγέπησε διαφερόντως,  
καὶ συνηξῆσε τῇ δόξῃ τὴν δύναμιν. Παιδιάν δέ τις  
ἐπαινῶν, ἔσχατον αὐτὸν Ἑλλήνων προσεῖπεν, ὡς οὐδένα  
μέγαν μετὰ τοῦτον ἔτι τῆς Ἑλλάδος ἄνδρα γενιαμένης,  
οὐδὲ αὐτῆς ἀξιον"<sup>2)</sup>.

Horum igitur convictu diu usus, mox inter aequales enituit et per totam fere vitam praecepta illa servavit, quibus adolescentis fuerat imbutus. Sic quum eum docuissent fieri non posse, ut, qui in sua re familiari negligens esset, reipublicae recte praecesset, neque a rapienda publica pecunia sibi temperaturum, qui sumptuosius viveret quam privati reditus ferrent, statim a prima adolescentia in victu ipso accuratus atque in omni apparatu tenuis fuit, rem vero suam adeo curavit, ut maximos labores ad eam augendam sustineret. Erat enim illi ager, viginti stadiis ab urbe remotus; eo quotidie a coena vel a

1) Polyb. X, 25. Philop. I. Omnino philosophi illius aetatis summo libertatis studio flagravisse videntur; sic Aristoteles, qui Abantidam, Sicyoniorum tyrannum, occidit, etiam philosophus fuit. Plut. Arat. 3.

2) Philop. I. cf. Plat. Arat. 24. Paus VIII, 52, 1.

prandio se conferebat, vespere ut unus quilibet operariorum in stramentis quieti se dabat, et, quum mane surrexisset, cum ceteris arabat, vites colebat, aliaque opera rustica faciebat.

In urbem reversus amicis suis aderat in negotiis privatis ac publicis. Ita lucrum, quod ex agricultura rediret, honestissimum ducens, pecuniam, quam ex praeda hostium sibi pararet, impendebat in equos, arma et ad redimendos captivos. Jam enim inde ab initio rem militarem valde adamabat omnemque disciplinam, quam ad illius usum aliquid conferre existimaret, summa diligentia amplectebatur.

Quotiescumque cives sui expeditionibus furtivis in fines Lacedaemoniorum praedandi causa incursabant, ille inter primos erat qui invaderent, inter ultimos qui recederent. Otium nactus, venando et, ut supra dixi, ruri laborando corpus agile ac robustum reddebat, porro omni studio se exercebat armis et in artem equitandi diligenter incumbebat. Quum vero luctari etiam sollerter videretur, ab amicis monitus, ut athleticae quoque exercitationi se daret, rogavit eos, numquid dexteritati in re militari tale studium detrimenti afferret. Illis ex vero affirmantibus, magnopere differre athletae et militis vivendi rationem, quum alter multo somno, perpetua saturitate, statis motionis et quietis vicibus augere deberet et tueri corporis habitum, alter omnis inaequalitatis patiens esse, praecipue vero assuefactus ad inediā ac vigiliā facile tolerandas, Philopoemen non modo et ipse rem respuit et irrisit, verum et postea, quum prae-

tor esset, quantum potuit, omni genere probrorum et contumeliarum disciplinam athleticam insectatus est, ut quae corpora, maxime ad bellicos labores apta, plane inutilia redderet ad necessaria certamina. Ceterum videtur jam a prima adolescentia tanto studio rei militaris flagrasse, ut prorsus contemneret tamquam ignavos ac inertes, qui istius disciplinae imperiti essent<sup>1)</sup>.

E praecceptis igitur et scriptis philosophorum tantummodo ea tangebat, quae ad belli usum et ad virtutem pertinerent; ex Homeri carminibus ea solum attendebat, quae ad fortitudinem excitare arbitraretur animos. Reliquorum scriptorum imprimis Euangeli<sup>2)</sup> commentarios de instruenda acie assidue tractabat atque accurate Alexandri res gestas cognoscebat, omnem existimans doctrinam ad agendum tendere oportere. Inde etiam spretis, quae in praecceptis de instruenda acie proponebantur, delineationibus, ipsorum locorum naturam ubique accurate perscrutabatur, et sive solus, sive cum aliis iret, omnia ad rerum usum referre conabatur. Praeclare hocce studium Philopoemenis declaravit Livius, cuius locum describere non alienum videtur.

"Ubi iter quoipiam faceret, et ad difficilem transi-  
"tu saltum venisset, contemplatus ab omni parte  
"loci naturam, cum solus iret, secum ipse agitabat  
"animo; cum comites haberet, ab iis quaerebat, Si

---

1) Philop. 4.

2) De Euangelo, tacticorum scriptore, nihil fere constat. Mentio ejus fit in Aeliani Tactic. initio.

"hostis eo loco apparuisset, quid, si a fronte, quid,  
 "si ab latere hoc aut illo, quid, si ab tergo adori-  
 "retur, capiendum consilii foret? Posse instructos  
 "recta acie, posse inconditum agmen, et tantummodo  
 "aptum viae, occurrere. Quem locum ipse capturus  
 "esset, cogitando aut quaerendo exsequebatur; aut  
 "quot armatis, aut quo genere armorum (plurimum  
 "enim interesse) usurus; quo impedimenta, quo sar-  
 "cinas, quo turbam inermem rejiceret; quanto ea,  
 "aut quali praesidio custodiret; et utrum pergere, qua  
 "coepisset ire via, an eam, qua venisset, repetere  
 "melius esset; castris quoque quem locum caperet,  
 "quantum munimento amplectetur loci, qua op-  
 "portuna aquatio, qua pabuli lignorumque copia esset,  
 "qua postero die castra moventi tutum maxime iter,  
 "quae forma agminis foret"<sup>1)</sup>.

Profecto non mirandum, eum, quum tanta conten-  
 tione animum ad illas res converteret, mox effecisse,  
 ut e maximis difficultatibus facile se expediret; cuius  
 rei plura documenta narrationis ordo nobis praebebit.

Simul autem nimio illo rei bellicae studio factum  
 est, ut ambitio ejus non prorsus vacaret pervicacia;  
 itaque, quum semper studeret Epaminondae imprimis  
 aemulus esse, fortitudine quidem, sollertia et absti-  
 nentia nequaquam illi inferior fuit, lenitatem vero,  
 gravitatem ac humanitatem non valuit attingere<sup>2)</sup>.  
 Verum de ingenio atque indole ejus plura in fine  
 operis referam; nunc redeamus ad res ab eo gestas.

1) Liv. XXXV, 28. cf. Philop. 4.

2) Philop. 3.

### III.

---

Triginta igitur annos natus erat Philopoemen, ut supra dixi, quum Spartanorum rex Cleomenes Megalopolim clam noctu adoritus, oppressis custodiis, in urbem irrupti forumque occupavit<sup>1)</sup>. Adeo inopinata ea res fuit, ut, priusquam sentirent Megalopolitani, intra muros rex staret. Mox clade animadversa, multi in fugam se converterunt, quantum possent rerum suarum secum rapientes; multi etiam, appetente die, tam singulari virtute hosti restiterunt, ut paene ejiceretur. Rex autem, omnibus opportunis locis occupatis, tandem urbe potitus est. Inter eos, qui summa fortitudine et audacia depugnarunt, imprimis eluxit Philopoemen, qui, spe conservandae urbis omissa, tantum effecit, ut major pars civium

---

1) Hieme anni a. Chr. 222.

in Messeniam effugere posset; occurrendo enim insequentibus hostibus et Cleomenis impetum in se retrahendo, civibus suis occasionem praebuit cum conjugibus liberisque evadendi. Ipse, equo amissus ac vulnera accepto, aegre postremus persequentium manus effugit.

Urbe expugnata, Cleomenes duos captivos, viros illustres ac principes Megalopolitanorum, Lysandridam et Thearidam, Messenen misit, qui civibus significant, regem iis urbem et agrum cum omnibus bonis redditurum, si, relictis Achaeis, societatem et amicitiam secum jungere vellent.

Philopoemen, ut animadvertisit cives suos libenter propositam conditionem accipere, consilio regis perspecto, ostendit iis, Cleomenem non benignitate vel humanitate quadam adductum, urbem reddere, sed, quo firmius eam retineret, cives etiam sibi acquirere velle; fieri enim non posse, ut desidens tecta et moenia vacua servaret, verum haec quoque ei propter solitudinem elapsura. Talibus argumentis civibus persuasit, ut dona oblata repudiarent, utque fortunis, sepuleris, sacris, agris, patria, carissimis denique rebus omnibus carere mallent, quam datam Achaeis fidem prodere, qua ex re haud immerito conjicere licet, eum jam id temporis aliqua auctoritate apud cives polluisse<sup>1)</sup>.

Insequenti aestate primum ostendit, quanta esset

---

1) De capta Megalopoli vid. Plut. Philop. 5. Cleomen. 23 sqq.  
Polyb. II, 55, 61. Paus VIII, 27, 10. 49, 3. cf. Droysen, p. 528 sqq.

in ipso rei militaris et artis imperatoriae peritia. Ut enim Macedonum rex Antigonus cum Achaeis agrum Lacedaemoniorum debellandi causa intrare tentavit, Cleomenes, hostium adventum exspectans, postquam reliquos aditus omnes praesidiis, fossis stratisque arboribus munivit, ipse cum exercitu, in quo ad viginti millia hominum erant, prope Sellasiam castra posuit<sup>1)</sup>, e regionis situ conjiciens, illac hostem irrupturum. Neque opinio eum fefellit.

Antigonus enim, peditum millia fere viginti octo, equites mille ducentos secum ducens, per fauces, quae apud Sellasiam sunt, in interiorem partem Laconiae penetrare studens, hostem offendit, qui jam summa arte ac prudentia in eo loco, ipsa natura valido, castra muniverat.

Erant duo colles, quorum alter Eua, alter Olympus dicebatur, quos inter, haud procul a fluvio Oeno, via Spartam ducebat. Illos colles Cleomenes fossis vallisque communiverat, in Eua fratrem Euclidam cum perioecis et sociis collocaverat, ipse cum Lacedaemoniis et mercenariis occupaverat Olympum. Antigonus, quum hostem in omnia intentum esse animadvertisset nec sibi occasionem dari, eum per subitum impetum opprimendi, castra posuit ita, ut Gorgylum fluvium pro munimento haberet; ibi per aliquot dies commoratus, loci naturam perscrutatus

---

1) De situ Sellasiae vid. Polyb. II, 65. XVI, 16, 2, 8. Paus III, 10, 7. Liv. XXXIV, 28. cf. Rosz, Reisen und Reiserouten durch Griechenland, I, pag. 181.

est et, quo melius hostium animos cognosceret, idem-  
tide se proelii initium facturum simulavit.

Tandem vero inter reges convenit, ut acie decer-  
tarent<sup>1)</sup>. Antigonus statuit ipse Macedones merce-  
nariasphe cohortes adversus regem ducere; Euclidae,  
qui Euam montem tenebat, reliquos pedites opposuit  
praeter mille Achaeos ac totidem Megalopolitanos,  
quibus cum equitatu in campi planicie circa viam,  
Spartam ducentem, locus designatus erat, ut hostium  
equitatui mercenariorumque parti in media acie op-  
positi essent.

Praeceptum erat Illyriis ac reliquis copiis, quibus  
cum Euclida res erat, ut collem invaderent, simul  
atque e proximis Olympo locis linteum attolli vidissent;  
Megalopolitanis autem et equitibus, ut, puniceo pa-  
ludamento a rege sublato, impetum facerent.

Ubi igitur tempus manus conserendi advenit Illy-  
riisque signum datum est, statim illi prodierunt et  
collem adscendere coeperunt. Cetrati vero, qui cum  
Cleomenis equitatu in media acie dispositi fuerant,  
animadvertisentes, hostes a tergo nudatos esse, quia  
Megalopolitanis atque equites, signo nondum dato,  
immoti stabant, subito magna vi collem adscenden-  
tes, eos adorti sunt et in summum discrimen addu-  
xerunt<sup>2)</sup>; a fronte enim simul Euclidas cum suis

1) De pugna apud Sellasiam vid. Polyb. II, 65—70. Plut. Cleomen.  
27, 29. Philop. 6. Paus. II, 9. VIII, 49, 5, 6. cf. Droysen,  
pag. 545 sqq. et W. Schorn, Geschichte Griechenlands von der  
Entstehung des ätolischen und achäischen Bundes bis auf die Zer-  
störung Korinths, 1833, pag. 130 sqq.

2) Polyb. II. 67. Plutarchus in vita c. 6 narrat cetratos illos ab

copiis e superiore loco eos premebat. Quum tam anciipi periculo socios premi animadvertisset Philopoemen et quid inde futurum esset praevideret, primum praefectos regios periculi admonere coepit, iisque ostendit non magni laboris fore, levem armaturam hostium opprimere idque ipsam occasionem suggestere. Quum vero persuadere iis non posset, sed ipsius consilia tamquam insanientis fastidirentur, ut qui admodum juvenis numquam ducis officio functus esset neque ulla auctoritate valeret, cives suos adhortatus, summa audacia in hostium equitatum impetum fecit.

Clamor igitur utrumque exortus est, quo exaudito, mercenarii, lacescentes Illyrios ceterosque, qui collem invaserant, quum proelium equitum adspexissent, mox, omissa priore consilio, in locum, quem antea tenuerant, reverterunt et equitibus succurrerunt. Ibi, quum proelium atrox committeretur, Philopoemenis equus vulneratus est, quo facto ipse pedes<sup>1)</sup>, equestri indutus lorica armisque ponderosis, in loco aspero, udo ac voraginoso dum graviter luctatur, utrumque femur simul transfigitur jaculo amentato. Ictus quidem letalis non fuit; quum vero spiculum ex altera parte exstaret, facile intelligitur, vulnus nequaquam leve fuisse. Praeterea funis, qui medio jaculo illi-

Euclida missos fuisse. Phylarchus apud Plut. Cleom. 28, proditione circumventum esse Euclidam, memorat.

1) Polyb. II. 69. Plutarchus affirmat, Philopoemenem, quo magis regios impelleret et hostes jam conturbatos acieris instaret, sua sponte equum dimisisse. Philop. 6. Secundum Pausaniam l. l. ad pedites descendit, in iis proelii discriminem fore arbitratus.

gatus erat, simul in corpus penetraverat, quam ob rem, qui circumstabant, extrahere lignum haesitarunt.

Quum interea undique summa vi pugnaretur, prae animi ardore pugnae exitum exspectare non potuit, sed femorum crurumque jactatione jaculo medio per fracto, fragmenta seorsim extrahi jussit<sup>1)</sup>. Sic quidem expeditus, gladio stricto, in hostes impetum fecit, qua re magis etiam ardorem ac virtutem suorum inflammavit, et tandem effecit, ut prorsus fugaretur media hostium acies.

Haud minus feliciter Illyrii in Eua colle rem gesserunt, praesertim quum Euclidas imprudentia sua, qua adversariis collem adscendentibus, segniter restitit, quo majus scilicet spatium ad eos repellendos relinqueretur, suam ipse perniciem maturasset.

Duabus illis cladibus acceptis, Cleomenes, licet summa fortitudine depugnans, non potuit non succumbere tristi suo fato. Verum haec quandoquidem minus ad rem nostram pertinent, missa faciamus. Tantum animadvertere lubet, nisi Philopoemen adfuisse, verosimile esse, pugnam apud Sellasiam exitum prorsus contrarium habiturum fuisse.

Victoria potitus Antigonus dicitur Alexandrum praefectum equitum tentandi gratia interrogavisse, cur, signo nondum dato, proelii initium fecisset. Qui, quum id ultiro a se factum negaret, sed ab adolescente quodam Megalopolitano invitum se ad pugnandum coactum affirmaret, rex quidem respon-

---

1) Philop. 6. Paus. VIII. 49, 6.

disse fertur, adolescentem illum magni imperatoris officio functum esse, quum opportunum tempus animadvertisset, illum vero, qui, dux quin esset, rei gerendae occasionem omisisset, imperiti adolescentis<sup>1)</sup>.

Magnam, ut par erat, Philopoemen ex eo certamine gloriam sibi paravit et ipse rex Macedonum eum sibi conciliare studens et permovere, ut secum militaret, praefecturam opesque ei obtulit; ille autem, animi ad obediendum minime accommodati sibi conscientius, rem recusavit.

---

1) Polyb. II. 65. Philop. 6.

## IV.

---

Rebus in Peloponneso compositis, quum quiescere non posset, quo magis rem militarem edisceret, in Cretam militatum abiit<sup>1)</sup>. Ibi quum, diu inter viros bellicosos omnique astutia insignes versatus, variis modis bellum gerere didicisset et simul ex eorum frugali ac simplici victu fructum cepisset, in patriam revertit, quae fortitudinem ejus et sollertiam adeo admirata est, ut confestim post redditum praefectus equitum ab Achaeis crearetur.

Versabatur equitatus Achaeorum eo tempore in pessima conditione, cuius rei praecipue culpa praefectis imputanda erat. Hi enim, vel quod ob imperitiam rei militaris ne proximis quidem necessaria imperare audebant, vel quo equitum, ut qui sum-

---

1) Philop. 7. Pausan. VIII. 49, 7.

mum arbitrium haberent honores conferendi poenasque indicendi, favorem sibi conciliarent eorumque suffragia in proximis comitiis; quibus ad praeturam proveherentur, sibi captarent, plus aequo iis indulgebant atque in multis delictis connivebant. Qui autem rei equestris periti erant, prava aemulatione plus etiam damni patriae afferebant quam ceteri ambitiosa indulgentia.

Quum igitur, quo tempore Philopoemen magistratum iniit, equites ipsi plerumque militiam defugientes aliosque pro se in bellum mittentes, non modo rei equestris imperitissimi, verum etiam animis omnino abjectis essent, ille, ardore flagrans, tum urbes circumeundo juvenesque singulos compellando et ad belli studium incitando, tum, si res posceret, ignavos castigando, brevi effecit, ut, qui paulo ante in proelio plane contempnendi essent, mox hostibus terrori facti sint.

Non alienum videtur, paucis ostendere, quibus exercitationibus tantam rerum conversionem effecerit<sup>1)</sup>.

Praecipuae exercitationes, quas equitibus maxime necessarias ducebat, tales fuerunt. Primum eos asuefecit, ut singuli facile sive ad dextram sive ad laevam fletterent equos; tum vero, ut, in priorem locum reversi, se in partem oppositam reclinarent. Turmas ita instruxit, ut sine tumultu unum, duo

---

1) Exercitationes equestres, quas Polybius memorat Lib. X, cap. 21, 22, ad Philopoemenem, minime ad Scipionem pertinere, satis jam planum fecit Schweighäuserus in Adnotat. ad Polyb. Lib. X. cap. 21, 22. Cf. Philop. 7. Polyaen. VI. 4. 1.

vel tres quadrantes circuli describere conversione sua possent. Deinde ex utroque cornu, interdum etiam e media acie, citato gradu, singulos vel binos ordines equitum educebat rursusque, inhibito cursu, eos in turmae seu alae formam congregabat. Praeterea aciem nonnunquam in alterutrum latus instruebat, sive ordines interponendo sive oblique post terga praecedentium turmarum deducendo. Instructionem autem aciei in alterutrum latus, quae fit per inflexionem, non indigere censebat peculiari exercitatione, quoniam eadem fere ratione agmen in itinere uteretur. Denique quovis motionis genere accedere ad hostem et rursus recedere ab eo docendi erant; quare eos assuefecit, ut maxima celeritate aggredi possent, non modo ordines tenendo eorum, qui juxta se quique pone collocati essent, sed etiam justa inter turmas intervalla semper observando. Perniciosum enim ducebat, si equites, soluto turmarum ordine, proelium committerent, licet summa fortitudine pugnarent.

Hasce igitur exercitations quum in singulis urbibus populo et magistratibus ostendisset, interjecto aliquo spatio, oppida denuo lustravit et circumspexit, num equites quae monstrata essent satius edidicissent, et num magistratus ipsi recte ac perspicue imperare suis nossent; nihil enim magis necessarium ducebat, quam ut singuli ordinum duces rei militaris periti essent.

Omnibus rebus ita praeparatis, equites ex oppidis in unum locum convocavit et ipse exercitationibus

praefuit. Neque semper in fronte agminis conspiciebatur, sed nunc ad dextrum latus, nunc ad sinistrum, nunc a tergo agminis omnia ipse assidue circumspiciebat, quae recte fierent laudabat, quae secus, corrigebat, denique in omnibus strenui ducis officio fungebatur. Non enim paeclari imperatoris esse censebat, semper inter primos conspici, ita ut omnes eum viderent, ipse suorum neminem cerneret, ac potius cum decere, exercitus ductandi peritum se ostendere quam vitae prodigum, quod uniuscujusque vel gregarii militis esset<sup>1)</sup>.

Sic vero assidua contentione tandem eo rem perduxit, ut equitatus summa dexteritate ac diligentia omnes necessarios motus perficeret, utque quasi unum corpus esse videretur, quod, nullo cogente, sponte sua se moveret.

Brevi post pugna apud Larissum<sup>2)</sup> illustri omnibus documento fuit, quantum mutatus esset Achaeorum status. Eleis enim et Aetolis apud fluvium illum cum Achaeis concurrentibus, Eleorum equitum praefectus Damophantus confestim in Philopoemem impetum fecit, qui adversarium, summa vi aggredientem, fortiter exceptit, et telo prius emissio ab equo dejectum occidit. Duce imperfecto, tota acies inclinata est et mox omnes in fugam se converterunt. Qua re imprimis inclaruit Philopoemen, quippe qui et rei militaris peritia ductandique scientia nulli

1) Polyb. X. 22.

2) De pugna apud Larissum vid. Philop. 7. Pausan. VIII. 49. 7. Suidas in voce. Cf. Liv. XXVII. 32.

cederet, et fortitudine atque audacia unus omnium maxime excelleret.

Itaque brevi post, circa a. a. Chr. 208, magna multorum consensione praetor Achaeorum creatus est, ac statim, ut antea equitatum depravatum ad meliorrem disciplinam revocaverat, ita tunc, priusquam aliquid moliretur, peditibus multo majorem vim addidit<sup>1)</sup>.

Erant autem eo tempore Achaei adolescentes ut ad belli studium parum alacres, sic ad magnificenciam et luxuriam valde propensi<sup>2)</sup>. Certabant inter se pulchris vestibus ac fastuoso victu, maiores sumptus in res inanes faciebant quam redditus ferebant, sed de armis deque toto militari apparatu parum solliciti, militiam aut omnino detrectabant aut segniter certe obibant; ut verbo dicam, quae supra de equitibus dicta sunt, eadem de peditibus valebant.

Praeterea scutis utebantur, ob levitatem valde habilibus, sed adeo angustis, ut nequaquam corpora tegerent; hastae corum multo breviores erant sarissis, quibus utebantur Macedones; quare eminus pugnantes hostibus utique detrimenti aliquid sua celeritate ac levitate afferre poterant, simul vero ac cominus certandum esset, semper inferiores erant. Praeterea acie in globum conformata non utebantur, sed tali, quae nec sarissarum projectione a fronte esset munita, nec testudinem haberet ut Macedonum pha-

1) Philop. 9. Pausan. VIII. 50. 1. Polyaen. VI. 4. 3.

2) Polyb. XI. 9. Philop. 9.

lanx, quo fiebat, ut facile comprimerentur et disjicerentur. Philopoemen igitur docuit eos, rationem illam pugnandi, qua uti solerent, minime idoneam esse iisque persuasit, ut, armis mutatis, pro scutis oblongis et minoribus clypeos rotundos et majores, pro brevibus hastis sarissas adhiberent. Denique ita eos instituit, ut galeis, loricis ocreisque tecti, pro cursoria ac velitari pugna statariam meditarentur ac firmam.

At enim, quum prorsus demere vanam istam atque inanem ambitionem, qua jamdudum laborabant Achaei, non valeret, ille a rebus parum necessariis ad res utiles atque honestas gloriae studium et magnificentiae amorem revocans, iisque persuasit, ut quotidianis impensis, quas antea in domos exornandas, in convivia paranda inque alias inutiles res facere soliti essent, omissis vel certe imminutis, armorum splendore ac bellici apparatus magnificantia inter se certarent. Adeo vero juveniles animos inflammavit, ut brevi post undique vasa atque utensilia, ex argento auroque facta, congererentur et in officinis contunderentur. Lorias autem suas inaurabant, scuta frenaque argento inducebant, in curriculis equos domabant et assidue armis se exercebant.

Feminae codem ardore abreptae sunt, quippe quae manibus suis galeas ac cristas superbis coloribus pinguerent, et vestes militum stragulaque equorum floribus pictis exornarent.

Eventus igitur omnino respondit iisque, quae aliquando Philopoemen in conventu Achaeorum dixerat, quum

affirmaret, nimiam comptus curam mulieri convenire et ei quidem non nimis modestae; armorum pretiosorum cultum viros fortes decere, quibus et suam et patriae libertatem tueri cordi esset; oportere igitur eum, qui vel ad decursionem vel ad expeditionem se accingebat, quum ocreas indueret, diligenter videre, ut hae magis quam calceamenta et crepidae essent aptae atque splendentes; quando clypeum sumeret et loriam galeamque, ut haec mundiora essent et exquisitoria quam chlamys aut tunica.

Ea oratio a magnae auctoritatis viro opportune habita<sup>1)</sup>), summo omnium plausu excepta est et, ut modo vidimus, tantum studium inter Achaeorum adolescentes movit, ut vitae rationem plane mutarent.

---

1) Polyb. XI. 9. 10.

## V.

---

Octo mensibus, per quos Philopoemen populares suos diligenter armis exercuit, praeterlapsis, Achaei adeo jam suis viribus confidebant, ut sibi quasi invicti viderentur bellique ardore flagrarent. Neque ita multo post <sup>1)</sup> tempus adfuit, quo et milites virtutem ostenderunt, et dux ipse summam sibi gloriam paravit.

Quum enim Machanidas <sup>2)</sup>, Lacedaemoniorum tyrannus, qui fretus magnis mercenariorum copiis jam saepius antea Achaeos infestaverat, nunc denuo iis insidiaretur, Philopoemen, accepto nuntio, copias suas Mantineam congregavit. Quo facto, tyrannus postero die Tegeae primo diluculo milites pro tem-

---

1) Aestate anni a. Chr. 207.

2) Polyb. XI. 11 sqq. Philop. 10. Pausan. IV. 29, 10. VIII. 50, 2.

pore adhortatus, ipse quoque ad Mantineam tetendit aciemque instruxit; dextro cornui phalangis ipse praerat, ad utrumque latus mercenarios collocaverat, et pone hos, carros catapultis aliisque tormentis bellicis onustos. Eodem tempore Philopoemen copias tripartito divisas ex urbe Mantinea eduxit; Illyrios et loricatos, simulque mercenarios atque expeditos omnes via ad Neptuni fanum ducente procedere jussit; quae proxima erat occidentem versus via phalangem exceptit; equites denique Achaeorum per proximam huic viam egressi sunt.

Primum expeditis, ut collem occuparent modica altitudine ante urbem viae imminentem fanoque Neptuni adjacentem, praecepit; prope hos, meridiem versus, loricatos et cum his conjunctos Illyrios collocavit; phalangem instruxit juxta fossam, quae per medios Mantinensium campos aedem versus Neptuni tendebat, et juxta hos, in dextro cornu, Aristaenum Dymaeum equitibus Achaeis praefecit; ipse in laevo cornu mercenarios ducebat.

Quum prope jam in conspectu essent hostes, phalangis ordines equo praetervectus, adhortatus est milites, paucis quidem verbis, quae autem praesens periculum satis significarent. Id imprimis eos monere studebat, adversarios pro turpi et ignominiosa servitute dimicare, ipsos pro illustri omnique praeconio celebranda libertate.

Major pars illius orationis exaudiri non potuit, quia milites fere omnes singulari fiducia affecti tanta alacritate ejus verba exceperunt, ut imperato-

rem adhortantem bono animo esse magno clamore juberent, et ulti, ut signum daret proelii, peterent.

Machanidas, initio phalange in longum directa, dextrum cornu adversariorum aggressurus videbatur; ubi proprius accessit, atque idoneum locum nactus est, subito in dextram inclinavit aciem et tam longe extendit, ut suum dextrum cornu Achaeorum sinistro opponeret; praeterea tormenta ac catapultas justis intervallis ante totam aciem locavit. Quo motu conspecto, Philopoemen statim suspicatus, machinis eum phalangis cohortes percursurum atque universam aciem conturbaturum, ut consilium adversarii dirimeret, sine mora per Tarentinos initium pugnandi fecit, quum loca circa Neptuni fanum plana essent, et ad equestrem pugnam valde accommodata.

Machanidas igitur a proposito deterritus, idem fasere coactus est, et suos item Tarentinos in hostes immisit. Ibi aliquamdiu soli Tarentini inter se magna vi dimicarunt, paulatim vero etiam expediti, suis, quum opprimerentur, succurrentes, proelio se immiscere cooperunt, tandem omnes mercenarii utrumque ad pugnam capessendam adducti sunt.

Primum anceps fuit proelium, quum ab utraque parte summa fortitudine certaretur; reliquae copiae exspectantes, utram in partem se pulvis converteret, diu exitum conjicere non potuerunt, quandoquidem utraque pars perdiu eundem tuebatur locum, quem ab initio occupaverat. Tandem tyranni milites mercenarii, qui et multitudine et usu plus vale-

bant, superiores facti, adversariorum ordines inclinarunt.

Neque id mirandum. Quemadmodum enim in libera civitate ipsi cives majore alacritate et contentione dimicant, quippe qui pro libertate et salute, pro aris et focis certent, plebs vero urbana tyranno subjecta segnus in certando se gerit, sic contraria prorsus ratio in mercenariis valet. Qui enim a tyranno conducti contra hostes ducuntur, pro mercede sua praemiisque pactis periclitantur; nec metuendum iis, ne post partam victoriam dimittantur, quum ipsi firmissimum sint tyrannidis praesidium; quibus autem libera respublica utitur, his idem stimulus deest, quoniam plerumque civitas, libertatis adversariis summotis, statim auxiliares copias dimittit.

Mercenarii igitur, qui a partibus stabant Machanidae, tam fortiter tantaque vi pugnaverunt, ut ne Illyrii quidem et loricati, qui in subsidiis erant, eorum impetum sustinere potuerint, sed omnes, soluto ordine effusaque fuga, Mantineam urbem, septem modo stadiis remotam, petierint.

Tunc vero, ubi Achaeorum res tota desperita videbatur, praecipue enituit invicta constantia Philopoemenis, et rcapse apparuit, quantus qualisque dux belli esset. Ut enim, quanta vi poterat, fugam mercenariorum singulos eorum duces compellando et ad resistendum hortando impedire conatus est, sed frustra esse omnia neque rem in eo cornu restitui posse vidit, non tamen animo abjecto de felici exitu desperavit nec fugam petiit; immo majore etiam

contentione omnes hostium motus attendit, numquid forte, re prospere gesta elati, offendarent. Namque optime sciebat, in bello saepe, qui initio velut certa victoria confisi essent, mox exiguo casu vel errore spe sua delapsos succubuisse. Quod idem tunc accidit. Tyrannus enim, omnibus mercenariis, qui in sinistro Achaeorum cornu stetcrant, turbatis ac fugatis, non, ut prudentem ducem decuit, confestim reliquas adversariorum cohortes, ab altero latere nudatas, aggressus est, quo facto verosimiliter brevi conturbatae fuissent, sed juvenili ardore atque audacia abreptus, effusis cohortibus, fugientes persecutus est, quasi metus ipse non sufficeret ad eos, qui semel terga dedissent, prope ad ipsas oppidi portas compellendos.

Philopoemen, quum suos a fuga retinere non potuisset, ad phalangem se convertit, atque hostes persequentes practerlabi suas copias passus, statim primas phalangis cohortes produxit in eum locum, qui a fugientibus desertus erat; sic quidem et tyrannum ejusque mercenarios a reliquo exercitu disjunxit, et ultra hostium aciem cum suis constitit. Tum milites adhortatus est, ut, nequaquam solliciti de clade accepta, bono animo essent et, signo dato, fortiter aggrederentur; Polybio Megalopolitano paecepit, ut Illyrios, loricatos ac mercenarios, qui vel superessent vel e fuga se collegissent, congregatos quam citissime a tergo phalangis in subsidiis collocaret, et redditum hostium, qui fugientes persequebantur, observaret.

Lacedaemonii, re a mercenariis suis bene gesta elati, signum non exspectarunt, sed statim sarissis inclinatis in hostem impetum fecere. Summa igitur alacritate progressi, quum ad fossae marginem venissent, non dubitarunt eam ingredi, tum quia difficile erat in tali discrimine terga vertere, tum quia nihil prohibere videbatur, quominus fossam aqua omnique impedimento vacuam transirent, quum praesertim per lenem clivum descensus in eam esset.

Ut vero Philopoemen illos temere et solutis ordinibus in eam descendere vidit, tempus rei gerendae adesse arbitratus, statim phalanxit signum dedit, ut inclinatis sarissis in hostem impetum facerent.

Achaeis igitur uno impetu et magno clamore invadentibus, Lacedaemonii, qui eo ipso tempore e fossa adscendere festinabant, cum adversariis ex inferiore loco dimicare coacti, primum turbati, mox partim in ipsa fossa tam ab hostibus quam suis oppressi perierunt, partim fugati sunt. Sic contra omnium fere exspectationem victoria fuit Achaeorum; et haud dubie felix istius proelii exitus solius ducis consilio tribuendum fuit. Non enim fortuito res ea ita evenit, verum Philopoemen jam ab initio omnia diligenter secum reputaverat; sperabat enim fore, ut tyrannus, quum copiis admotis, ad fossam non provisam accessisset, aut transitum metuens recederet eoque facilem victoriam adversariis praeberet, aut temere si in fossam descendisset, ea clade afficeretur quae reapse contigit.

Lacedaemonii igitur passim ac solutis ordinibus in

fugam se converterunt, quos Achaei persecuti sunt. Attamen praetor ipse, quamvis laeta potitus victoria, otiosus non fuit, sed, quod reliquum erat operis perficere studens, operam dedit, ne tyrannus manus suas effugeret. Qui postquam cum mercenariis a persequendo rediit, et victoriam sibi erectam suosque fusos ac profligatos vidit, statim comitibus in unum coactis, per medios hostes effuse dispalantes perrumpere tentavit. At illi, quum proprius pontem fossae accessissent eumque ab Achaeis custodiri vidissent, animos despondentes consilium omiserunt et pro se quisque salutem sibi quaesiverunt. Tyrannus igitur, quia per pontem transire nequibat, juxta fossam obequitans, anxie circumspexit locum, qua evadere posset. Duo eum sequebantur comites, Anaxidamus et unus e mercenariis. Philopoemen, simul ac Machanidam e paludamento purpureo et equi ornatu agnoverit, relictis pontis custodibus, quos jussit nulli mercenariorum parcere, ut qui semper Spartae tyrannidem sustentarent, ipse cum Polyaeno ac Simmia, quos in proeliis secum ducere solebat, in altera parte fossae tyrannum observavit et transitum ejus prohibuit. Aliquamdiu eo modo juxta fossam equitarunt; ήν δὲ φύεις, ut Plutarchus dicit, οὐχ ὡς στρατηγῶν μαχομένων, ἀλλ' ὡσπερ θηρίων πρὸς ἀλκῆν ὑπὸ ἀνάγκης τρεπομένων δεινοῦ κυνηγέτου, τοῦ Φιλοποίμενος, συνεστῶτος<sup>1)</sup>.

Tandem equus tyranni robustus ac ferox, utrimque

---

1) Philop. 10.

calcaribus concitatus, ausus est fossam transsilire, et pectore in eam impacto, prioribus pedibus rursus se atollere tentavit; eo ipso tempore Simmias et Polyaenus ambo advolarunt, et hastas in tyrannum inclinarunt; quos praevertens Philopoemen, ut adversarii corpus equi capite in altum sublato tectum vidiit, suum equum paululum deflexit hastamque magna vi emisit, quo ictu tyrannum exanimem dejecit.

Machanidae comitum alter item interfectus est, alter evasit. Simmias autem, capite tyranni abscisso, ad suos, qui hostem persequabantur, properavit, quo magis eorum animos nuntio allato accenderet; quo facto ipsa urbs Tegea primo impetu capta est.

In eo proelio Achaei, paucis modo suorum amissis, Lacedaemoniorum ad quatuor millia occiderunt, plures etiam vivos ceperunt, et omnibus impedimentis armisque potiti sunt. Postero autem die, jam nullo resistente, Laconicam invadentes, ad Eurotam castra posuerunt. Ita unius viri arte ac sollertia imperatoria factum est, ut, qui diu a suis finibus prohibere hostes non potuissent, nunc ipsi per totam hostium regionem impune vagarentur omniaque raporent. Achaei igitur tantopere eum admirati sunt, ut statuam ei Delphis posuerint, qua repreäsentabatur tyrannum hasta sua feriens<sup>1)</sup>.

---

1) Philop. 10.



## VI.

---

Circa annum a. Chr. 205, instante Nemeorum festo, quum Philopoemen iterum praetor esset et ludorum gratia feriaretur, primum Graecis, qui undique confluxerant, phalangem suam omnes motus summa celeritate edentem ostendit, eoque omnium admirationem excitavit<sup>1)</sup>. Deinde citharoedis inter se certantibus, magna stipatus caterva juvenum, militaribus paludamentis ac purpureis tunicis induitorum, qui omnes et corporis robore insignes et eadem fere aetate erant, iidemque tum ob multa prospere gesta certamina animosi, tum erga ducem summa reverentia conspicui, in theatrum ingressus est. Ipso hoc temporis momento forte fortuna Pylades, Mega-

---

1) Philop. 11. Pausan. VIII. 50, 3.

lopolitanus, fama inclytus citharoedus, canebat versus illum ex Timothei<sup>1)</sup> Persis :

*Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχω<sup>2)</sup> μέγαν Ἐλλάδο κόσμον.*  
Quum vero carminis gravitas optime congrueret cum voce canora ejus qui recitabat, omnes ingenti cum plausu in Philopoemenem oculos conjecterunt, et summa laetitiae significatione majorum tempora ac virtutes in animum revocarunt.

Et profecto, ut ait Plutarchus<sup>3)</sup>, quemadmodum equi, uni domino assueti, ubi alius frena regit, trepidant atque ferociunt, sic Achaeorum milites, alio duce, abjectis erant animis; illum unum circumspiciebant, quem simul ac vidissent, statim alacres bonoque animo progrediebantur. Eo enim ducente, semper victores fuerant, et simul illius famam et nomen ipsum a hoste reformidari animadvertebant. Cujus rei plura exempla referre licet.

Philippus enim, Macedonum rex, arbitratus, si Philopoemen e medio sublatus esset, Achaeos iterum sibi subjectos fore, insidias illi Argis<sup>4)</sup> commoranti struxit, quibus detectis, universa Graecia regem abominata odioque persecuta est.

Boeoti vero Megaram, quod a suis partibus ad Achaeos defecisset, obsidentes, quum jam in eo esset, ut urbe potirentur, falso nuntio allato, Philopoeme-

1) De Timotheo Milesio, tragico poeta ac lyrico, Euripidis aequali vid. Fabricii Bibl. Gr. II. p. 325.

2) Pausanias VIII. 50, 3 habet τεύχον.

3) Philop. 12.

4) Philop. 12. Pausanias VIII. 50, 4. memorat Philippum ministros suos Megalopolim misisse. Cf. Justin. XXIX. 4.

nem obsessis opitulaturum advenire, statim incepto destiterunt et, scalis etiam quae jam muris admotae essent relictis, celeriter fugam petierunt<sup>1)</sup>.

Spartae brevi post Machanidam interfectum, Nabis tyrannidem occupavit, qui Peloponnesiorum primos aggressus est Messenios<sup>2)</sup>, et subito quum invasisset, primo impetu urbem Messenen cepit. Philopoemen, qui id temporis nullo magistratu fungebatur, praetori Lysippo persuadere tentavit, ut Messeniis oppressis auxilium ferret. Praetor consilium abnuit, urbem a tyranno jam occupatam dicens, qua tamen re non deterritus Philopoemen cives suos, ne injuriam illam sociorum aequo animo ferrent, cohortatus, tanto ardore inflammavit, ut frequentes privatum<sup>3)</sup> ipsum sequerentur, arbitrati praestantisimo cuique, quasi natura ipsa perpetuo imperatori, obtemperandum esse. Nec tyrannus eorum adventum exspectavit, sed, audito nomine Philopoemenis, licet in ipsa urbe casira metatus esset, per

1) Philop. 22. Pausan. I. 1.

2) Sic Pausanias VIII. 50. 5. Apud Polybium XIII. 8. primos Megalopolitanos infestasse Nabis videtur.

3) Sic Plutarch. Philop. 12: Νάβιος δὲ, τοῦ μετὰ Μαχανίδων πυρανοῦντος Δακεῖαιμονταν, Μεσσηνη ἄφνω καταλιθώντος, ἐτύγχως μὲν ἱδιώτης ὡν τότε ὁ Φιλοποικην, καὶ δυνάμεως οὐδεμιᾶς κύριος· ἐπει δὲ κ. τ. λ. In comparatione Philopoemenis cum Flaminino idem auctor plane contraria scripsit: Στρατηγὸς μὲν γῆρας, Νάβιν ἐξέβαλεν ἐκ Μεσσηνης, καὶ Μεσσηνος ἡλευθέρωσεν. ἱδιώτης δὲ, Διοφάνην, τὸν στρατηγὸν, καὶ Τίτον ἐπερχομένους ἀπέλειτο τῆς Σπάρτης, κ. τ. λ. cap. 3. Schornius pag. 209 nomen στρατηγὸν non de praetore sed de quovis duce hoc loco dictum putat; verum dubito, num ita difficultas dematur. Mihi potius Plutarchus sui ipsius immemor, ut nonnumquam alibi, erravisse videtur.

aversam portam celeriter suos abduxit, satis ducens, quod in columnis inde effugisset<sup>1)</sup>. Sic et Messene vel solo nomine praeclari viri servata est.

Proximo anno (a. a. Chr. 201) Philopoemen tertium praetor creatus Nabidi, quum crebris rapinis Achaeos lacesseret, insidias struxit. Tegeae enim dum erat, computatis singularum urbium Achaeorum intervallis, in remotissimas perferri jussit epistolas a se scriptas, quibus inclusae erant aliae, singulis deinceps oppidis, in vicina regionis parte sitis, reddendae. Scripserat autem magistratibus, ut statim post acceptas litteras omnes juvenes colligerent eosque, quinorum dierum cibariis et quinque drachmis datis, armatos ad proximam urbem ducerent, simul hujus magistratui epistolam inclusam traderent. Quia autem non omnia oppida, quae remotissima erant ab Tegea, pari intervallo distabant, non eodem tempore, sed pro ratione intervalli, aliis serius, aliis ocius litteras reddi jussit. Quo effecit, ut nemo sciret, quale inceptum esset, nec quo copiae illae ducerentur; tantummodo singulis mandato accepto patuit, in proximam urbem proficiscendum esse. Tali strategemate usus est Philopoemen, ne tyranus per speculatorum, quos multos quoquo versus emissos constabat, de consilio suo ante certior fieret quam tempus adesset rei gerendae.

1) Philop. 12. Cum Plutarcho discrepat Pausanias, affirmans Nabidem ἐποπτόνδον ex urbe Messene excessisse. Cf. IV. 29. 11. VIII. 50, 5.

Sic uno die ex omnibus Peloponnesi partibus cuncta Achaeorum juventus per diversas portas armata Tegeam intravit. Jam vero practor delectam suorum manum miserat, qui nocte in Laconica circa Sellasiam acta, postero die, luce exorta, circumiacentes regiones depopularentur. Praecepserat autem iis, ut, mercenariis tyranni irruentibus, Scotitam<sup>1)</sup> versus confugerent; ceterum Didascalondae Cretensi, cui de universa re mandata sua dedisset, imperanti obtemperarent. Illi igitur alacriter quae imperata erant facessitum abierunt; ipse, quum Achaeos tempori coenare jussisset, copias ex urbe eduxit, et citato gradu nocte progressus primo diluculo exercitum in insidiis collocavit circa Scotitam, qui locus inter Tegeam et Lacedaemonem jacebat. Mercenarii, qui Pellenae in praesidio erant, ubi e speculis Achaeos (quos praemiserat Philopoemen) populantes regionem viderunt, statim, ut solebant, summa audacia impetum in eos fecerunt, quos ex praecepto terga dantes temere insecuri, mox in ea loca devenerunt, ubi totum Achaeorum agmen in insidiis collocatum erat. Qua inopinata re consternati partim occisi, partim capti sunt<sup>2)</sup>.

Ideo Nabis, artem ac sollertia Philopoemenis metuens, quamdiu ille magistratu fungebatur, Achaeorum agris abstinuit; proximo anno, ubi imperium a Philopoemene ad Cyliadam, nequaquam parem illi

---

1) Cf. Pausan. III. 10. 6.

2) Polyb. XVI. 36, 37.

ducem, translatum et auxilia Achaeorum dilapsa vidit, bellum renovavit, neque solum finitimos agros vastavit, sed etiam ipsis urbibus terrorem incussit.

Achaeis igitur in concilio Argis consultantibus de bello Nabidi inferendo, subito Macedonum rex Philippus, cui jam bellum a Romanis instabat, concioni supervenit pollicitusque est, se tyrannum debellatum, si ipsi vicissim suis oppidis praesidio esse vellent. Achaei autem metuentes, ne bello adversus Romanos implicarentur, foedus illud abnuerunt; quare rex, de spe sua depulsus, mox e Peloponneso in Atticam rediit<sup>1)</sup>. Inde Nabis, novos spiritus sibi sumens, fines Megalopolitanorum devastavit, civesque, intra muros compulsos, magna vi oppugnare coepit.

Tot tantisque difficultatibus pressa civitate, quum hostis prope in portis castra metatus esset, cives autem urbis vias consercerent, ne fame perirent, Philopoemen e Peloponneso exiit et Gortyniis rogantibus, ut belli ducem ipsis se praeberet, in Cretam abiit<sup>2)</sup>. Non satis constat, quaenam causa hujus consilii fuerit. Fuerunt jam antiquitus, qui dicere eum, quippe privatum, otio usum esse ad Gortyniis opem implorantibus succurrentum; otiali enim eum non potuisse ac semper ut aliis bonis sic bellica etiam virtute utendum esse censuisse<sup>3)</sup>. Manifesto

1) Liv. XXXI. 25. Ceterum jam antea Philopoemen, tertium praetor, foedus cum Philippo prohibuisse videtur. Cf. Polyb. XL. 8, 6. Justin. XXIX. 4.

2) Philop. 13. Pausan. VIII. 50, 6.

3) Philop. 1. 1.

id significavit, quum, Ptolemaei legato aliquando regem hunc laudante, quod et milites quotidie exerceret et ipse armis tractandis corpus suum assiduo labore firmaret, ille palam vituperavit talia curantem regem, quippe qui provecta aetate, nulli rei gerendae intentus, in ludicris tantum exercitationibus occupatus esset<sup>1)</sup>.

Megalopolitani autem discessum ejus aegre tulerunt, et se proditos arbitrati, exsilium ei irrogare voluerunt, quod tamen Achaei, Aristaeno praetore in urbem Megalopolim legato, prohibuerunt.

Rem accurate reputantibus, statim illorum opinio improbanda videtur, qui crederent, eum ob belli metum discessisse; quomodo enim fieri potuit, ut vir ille, qui per totam vitam rem militarem summopere adamasset, eum reformidaret hostem, quem saepius jam sui nominis terrore in fugam convertisset? Neque iis assentiendum, qui, ut modo dixi, eum, quia otium ferre nequiret et magistratu nullo fungens patriae suae minus utilis esse posset, ad extera bella profectum esse arbitrarentur<sup>2)</sup>. Messene enim a tyranni dominatione liberata testis fuerat, quid privatus etiam posset.

Nihil igitur superesse videtur nisi ut statuamus recte vidisse majorem partem civium, qui mala ambitione flagrantem, quod praetura sibi non continuaretur, bellum eum detrectavisse existimarent. Quidquid est, Philopoemen in Creta Gortyniorum copiis

1) Polyb. XXIII. 1. Philop. 13.

2) Cf. Philop. 1. 1.

praefuit, nec ibi more Arcadum simpliciter et aperte bellum gessit, sed omnibus dolis insidiisque utens, ipsos Cretenses, qui tamen astutia sua per omnem antiquitatem famosi fuerunt, superavit effecitque, ut pueri atque infantes viderentur ad veram belli experientiam.

Quum igitur per plures annos in Creta versaretur, interea in Graecia omnia fere mutata sunt. Romanis enim Philippo, Macedonum regi, bellum inferentibus, Achaei, qui initio in verba juraverant Philippi <sup>1)</sup>, Cycliade expulso et Aristaeno praetore creato, cum Flaminino Romanorum imperatore, foedus junxerunt a. a. Chr. 198 <sup>2)</sup>.

Philippus autem, quo Nabidem, tyrannum Lacedaemoniorum, sibi conciliaret, Argos ei tradidit. Perfidus iste, nihil curans, a quo tale munus neque in quam conditionem accepisset, cum Flaminino colloquium habuit, eique duas res pollicitus est, se auxilia missurum adversus Philippum, cum Achaeis autem inducias facturum, quibus conditionibus amicitiae foedus a Romanis impetravit.

Eo ipso anno (a. a. Chr. 197) acerrimo proelio apud Cynoscephalas Macedonum vis fracta et proximo anno libertas Graecorum in ludis Isthmicis a Flaminino proclamata est. Rebus igitur in Graecia compositis, quum jam bellum instaret ab Antiocho, Syriae rege, senatus Romanus, metuens, ne Nabis

<sup>1)</sup> Liv. XXXII. 5.

<sup>2)</sup> Liv. XXXII. 19, 23.

novas res moliretur, bellum contra eum decrevit, cuius administrationem Flaminino permisit.

Fortiter restitit tyrannus, sed tandem multitudine circumventus pacem orare coactus est, quam pessimis conditionibus impetravit a. a. Chr. 195<sup>1</sup>).

Haud ita multo post Flamininus, praesidiis suis ex omnibus Graeciae urbibus deductis, Romam reversus est a. a. Chr. 194.

---

1) Liv. XXXIV. 24, 30 sqq.

## VII.

---

Nabis foederis conditionibus diu contentus esse non potuit, quum praesertim Aetoli, Romanis infensi, ad rebellandum eum hortarentur. Quandoquidem enim foedere illo omnes maritimae civitates Laconicae tyranno ademtae eorumque tuendorum cura Achaeis mandata erat, ille aegre ferens, se omnino a mari interclusum esse, recuperare ea loca studuit, quare tumultus in iis excitavit et Gythium oppidum oppugnare coepit a. a. Chr. 192.

Quibus rebus cognitis, Achaei statim ad tyrannum legatos miserunt, qui eum foederis cum Romanis facti admonerent; eodem tempore e suis praesidium dederunt, quod Gythium defenderet. Quum autem ipsi per se bellum movere in tyrrannum non auderent, Romam etiam legatos miserunt, qui senatum rogarent, quid sibi faciendum esset. Sena-

tus Atilium praetorem cum classe in Graeciam mittere decrevit. Quod senatusconsultum priusquam Achaeis nuntiatum est, Nabis nihil moratus summa vi Gythium adortus est, et Achaeis, quod praesidio eam urbem munivissent, infensus, eorum agros depopulatus est. Illi, quia legati nondum reverterant, bello persequi tyrannum non ausi, Flamininum, qui eo tempore legatus erat in Graecia, consuluerunt, quid sibi esset faciendum. In concilio omnes confessim ad arma vocarunt; ardor autem ille imminutus est, ubi litterae a Flaminino allatae sunt, quibus auctor erat iis, ut praetorem classemque Romanam exspectarent.

Deliberatione igitur orta, quum alii principum in sententia permanerent, alii ejus consilio utendum esse censerent quem ipsi consuluissent, Philopoemen, qui circa idem tempus ex Creta rediisse ac statim quartum praetor creatus esse videtur, sententiam interrogatus, respondit: Bene constitutum apud Aetolos esse, ne praetor, quum de bello consuluisset, ipse sententiam diceret; quare ipsos, quid vellent statuere iussit; practorem decretum eorum cum fide et cura exsecutum, annisurumque, ut, quantum in consilio humano positum esset, nec pacis eos poeniteret nec belli<sup>1)</sup>.

Tanta fuit illius viri auctoritas apud cives, ut brevis haec oratio, prudenter ac temporis accommodate habita, omnium animos permoverit; quo factum, ut omnium fere consensu bellum decretum ejusque

---

1) Liv. XXXV. 25.

cura ipsi praetori demandata sit<sup>1)</sup>). Ceterum et ipse Philopoemen classem Romanam exspectandam esse ducebat, sed metuens, ne differendo et Gythium oppidum et praesidium Achaeorum amitteretur, naves deduxit. Sicut autem belli terrestris scientia omnes fere aquales antecellebat, ita rei navalis omnino imperitus erat, et arbitratus, qui terra vincere hostes sciret, eumdem et mari superare posse, mox, quantum in omnibus rebus exercitatio et usus valeat, expertus est.

Jam ab initio in eo offendit, quod navem veterem, octoginta annis ante captam, qua per quadraginta annos nemo usus erat, ornavit atque in mare deduxit<sup>2)</sup>). Omnibus autem compagibus aquam illa recipiente, necessario primo impetu succumbendum fuit. Tyrannus Gythium facile se expugnatum ducens, dummodo maritima praesidia interclusisset, et ipse aliquot naves comparavit, suosque, quoad pro temporis ratione fieri poterat, quotidie exercuit. Ut igitur Achaeorum classem appropinquare audivit, confessim cum suis navibus obviam iit, et quum proelium iniretur, non diu dubius fuit exitus.

Statim enim prima incursione navis illa vetus, qua praetor vehebatur, divulsa est, et captis fere omnibus qui inerant, praetor ipse aegre speculatoria nave effugit; quo facto ceteri omnes, qua celeritate possent, fugam capessiverunt. Nec tamen

1) Plutarchum et Pausaniam duo bella cum Nabide gesta non bene distinxisse, jam plures monuerunt.

2) Philop. 14. Liv. XXXV, 26.

tanta clades Philopoemenis animum frangere valuit, sed mox alia consilia secum agitavit, ut brevi ignor-  
miniam extingueret suisque spem vincendi redderet.

Quum igitur tyrannus, mari tutum jam se arbitratus, terrestria praesidia etiam arcere in animo haberet, tertiam partem copiarum, quibus Gythium oppugnabat, Plejas abduxit, qui locus trans Eurotam flumen et Leucis et Acriis imminebat; illac enim hostes aggressuri videbantur. Stativis ibi positis, pauci tabernacula habuerunt, major pars casas ex arundine ac fronde sibi fecit; qua re cognita Philopoemen clam in statione quadam agri Argolici magnum parvarum navium numerum armatis complevit, et celeriter in locum vicinum ad castra hostium navigavit.

Tum vero, ubi in terram escendit, per colles notos subito nocte supervenit stativis, quae ad Plejas erant, atque igne in casas immisso, priusquam senserunt hostes, undique flammis circumventi sunt. Tam inopinata re consternati Lacedaemonii vix restiterunt, sed effuse profugerunt; pauci modo in majora castra ad Gythium pervenerunt; plures ferro interfecti sunt.

Ita re bene gesta, Philopoemen totam Laconicam pervagatus magna potitus, antequam tyrannus agros praesidiis suis tutari potuisset, Tegeam pervenit, ubi statim concilio Achaeis sociisque indicto magno consensu decretum est, ut confestim exercitus Lacedaemonem duceretur. Sic enim tyran-  
nus a Gythii oppugnatione abduci posse videbatur. Praetor igitur mox in finibus hostium castra posuit;

attamen quod propositum erat efficere non potuit, quia tyrannus, expugnato jam Gythio, universo cum exercitu Achaeis, dum prope ab urbe Lacedaemonie in monte Barbosthene consident, occurrit<sup>1)</sup>. Inexspectato illius adventu Philopoemen primo perculsus, quem praesertim locorum angustiis et iniquitate graviter premeretur, mox tamen ostendit, quanti momenti in bello sit rei militaris scientia. Omnibus enim fere de salute desperantibus, praetor solus immotus tanta sollertia aciem suam instruxit, ut rerum status plane immutaretur.

Primum per Cretensium auxiliares ac Tarentinos equites collem super torrentem, unde aquari possent, occupavit; eo simul impedimenta omnia et calonum turbam transportavit; partem exercitus noctu in valle, ab hostium conspectu remota, in insidiis collocavit. Quum igitur postero die initium pugnae fieret ab auxiliaribus, qui utrumque aquatoribus praesidio erant, aliquamdiu anceps fuit proelium; tandem Achaeorum mercenarii et quia multitudine superabantur et quod ita a praetore praescriptum erat terga dantes, hostem in eum retraxerunt locum, ubi in insidiis positi erant Achaei. Qui subito e latibris consurgentes, et suos fugientes per ordinum intervalla receperunt, et hostes effuse persequentes occiderunt aut fugarunt. Tota acies Lacedaemoniorum ea clade conturbata, in castra confudit, nec ibi fortasse impetum insequentium adversariorum susti-

---

1) Philop. 14. Pausan. VIII. 50, 9. Liv. XXXV. 27 sqq.

nere potuissent, nisi Philopoemen loca confragosa et iniqua metuens, receptui cecinisset. Postero vero die Nabis, sive ob recentem cladem animum desponsans, sive timens, ne Achaei ipsam urbem Lacedaemonem praesidiis denudatam peterent, Pythagoram, generum suum, partem copiarum extra castra instruere jussit, quasi acie decernere iterum vellet; ipse cum robore exercitus per angustam et difficilem transitu viam, citato agmine, urbem versus profectus est. Quod ubi vidit Philopoemen, statim Pythagoram adortus est, quo mox fugato, castra hostium diripuit et per cetratos insectatus est fugientes.

Magna ibi tunc strages edita, quum Lacedaemonii et locorum angustiis et ab adversariis, qui terga caederent, opprimerentur. Dum auxiliares hostem persequuntur, praeator ipse graviter armatos via patentiore ad fluvium Eurotam duxit; ubi castra metatus sub occasum solis ceteros exspectavit. Qui quum nuntiassent, tyrannum ipsum cum paucis in urbem effugisse, majorem partem copiarum per medios saltus vagari, ille suspicatus eos, quoad lucis superesset quidquam, in locis occultis se abdituros, quum vero nox supervenisset, singulos urbem petituros, nonnullas cohortes coenare ac corpora curare jussit, deinde eas circa urbem in insidiis collocavit. Quod exspectaverat evenit, adeoque magna multitudo ab Achaeis caesa est, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit.

Nabis intra muros compulsus se movere ausus non est, nec prohibere potuit, quominus per triginta dies totam Laconicam pervagarentur omniaque diri-

perent hostes. Quod tyrannus non plane deletus est, id verosimiliter tribuendum invidiae Flaminini, qui aegre ferens magnam famam atque auctoritatem, qua inter populares suos ob praeclaras res gestas florebat Philopoemen, interventu suo effecisse videtur, ut indiciae illi concederentur<sup>1)</sup>.

Romanus enim imperator, vana ambitione incensus, se unum maxime a Graecis suspici volebat, nec ferebat, quum ipse, consul Romanus, uno edicto totam Graeciam liberasset, hominem Arcadem, qui parva modo bella tractavisset, secum honore aequiparari.

Nabis igitur nondum subactus ad Aetolos misit, qui auxilia ab iis peterent; se enim, illis imprimis auctoribus, bellum instaurasse eoque in summum discrimen pervenisse. Aetoli misere Alexamenum cum mille peditibus, hisque addiderunt triginta delectos ex juventute equites, quibus praetor Damocritus proficiscentibus praecepit, ut quidquid dux imperaret parati exsequerentur.

Alexamenus, Spartam quum venisset, tyrannum aliquamdiu falsa spe lusit; ubi autem idoneum tempus adesse visum est, proditione usus per equites suos hominem, cui praesidio se fore pollicitus erat, perfide interfecit a. a. Chr. 192<sup>2)</sup>. Factum est hoc e praescripto ipsorum magistratum Aetolorum, neque ii fructum sui sceleris ceperunt; nam, quum Alexamenus ipse et milites ejus ob animorum impotentiam statim ad praedam se verterent, nec quae tempus

1) Cf. Philop. 15. Pausan. VIII. 50, 10.

2) Liv. XXXV. 35.

posceret curarent, Lacedaemonii mercenariique ty-  
ranni conjunctim illos, per universam urbem palantes  
et rapientes, adorti sunt; major pars caesa, pauci  
Tegeam et Megalopolim effugerunt, ubi a civibus,  
Aetolis infensis, comprehensi sub corona venierunt.  
Philopoemen, caede tyranni cognita, statim cum de-  
lecta manu Lacedaemonem profectus est, ubi quum  
omnia turbata essent, principum aliis persuasit, ut  
foederi Achaeorum se adjungerent, alias invitatos mi-  
nis ad suam voluntatem perduxit. In quo multum  
sane eum adjuvit, quod eo ipso tempore praetor Ro-  
manus A. Atilius cum quatuor et viginti quinquere-  
remibus ad Gythium accessit. Magnum igitur in-  
crementum cepit foedus Achaeorum, tanta urbe iis  
adjecta; neque solum Achaei ea re laeti Philopoeme-  
nem summis laudibus extulerunt, verum et Sparta-  
norum principes sperantes, se eum custodem libertatis  
habituros, haud gravati sunt. (a. a. Chr. 192).

Eo ipso anno Antiochus, bello Romanis indicto,  
in Graeciam transiit; qui quum in Euboea deside-  
ret amore captus virginis Chalcidensis, et in convi-  
viis omniisque genere voluptatum tempus tereret, Phi-  
lopoemen, ut simul milites exemplum regis secutos,  
sine ulla disciplina vel imperio per urbes vagantes  
vidit, graviter dolere se affirmavit, quod praetor  
Achaeorum non esset; se enim omnes hostes in cau-  
ponis oppressurum<sup>1)</sup>.

---

1) Philop. 17. cf. Liv. XXXVI. 11.

---

## VIII.

---

Sub idem tempus Lacedaemonii novas res moliti esse videntur; et praetor Achaeorum Diophanes, suffragante Flaminino, eo rem perduxit, ut Spartani bello peterentur. Quod ne fieret Philopoemen prohibere studens, adhortatus est Diphanem, ne, tot copiis Syrorum et Romanorum in Graecia versantibus, nimia severitate dissensiones suorum augeret; quem quum minus moveret, facinus perpetravit, Plutarchi judicio neque lege permissum nec juri exacte respondens, verum insigne tamen et magnam audaciam significans<sup>1)</sup>. Privatus enim Lacedaemonem properavit, atque civitate ad Achaeorum soci-

---

1) Philop. 16. ἔργον οὐ νόμιμον, οὐδὲ ἀπηκριβωμένον ἐκ τῶν δικαίων, ὅλᾳ μέγα καὶ μεγάλῳ φρονήματι τολμήσας. κ. τ. λ.

tatem reducta omnibusque rebus compositis, portas praetori Achaeorum et legato<sup>1)</sup> Romano clausit.

Immerito Plutarchus illegitimum hoc facinus judicasse mihi videtur. Quidni enim privato licuit in communis patriae salutem turbas inter cives exortas persuadendo componere? Quod quum bene cessisset, recte fecit Philopoemen, qui Diophanem cum infesto agmine accedentem ab urbe societati adscripta et fidem servante prohibuerit. Jam vero, quod nusquam hanc rem ei exprobrasse videtur Flamininus, qui tanta erga eum flagrabat invidia, satis indicat, id criminis verti ei non potuisse.

Hujus facti in gratiam Lacedaemonii bona Nabidis, centum et viginti talentis aestimata, Philopoemeni dono offerre decreverunt<sup>2)</sup>. Adeo vero illius integritatem reverebantur, ut nemo inveniretur, qui rem proponere viro auderet; quum vulgo omnes libenter gratiae vel emolumenti causa talia munera perferre soleant. Tandem Timolaum, qui paterno hospitio ac vetere necessitudine illi devinctus erat, miserunt. Is igitur Megalopolim profectus a Philopoemene benigne exceptus est; animadvertisens autem viri gravitatem ac simplicitatem morum, de dono ne verbo quidem mentionem fecit, sed alia adventus causa allata, domum rediit.

Iterum missus eadem reverentia impeditus est,

1) Perperam Plutarchus Flamininum οπατον dieit, quum eo tempore legatus in Graecia esset. Philop. 16.

2) Pausan. VIII. 51, 2. Plutarchus dona haec Philopoemensi oblata esse narrat statim post Nabidem interfectum. cf. Philop. 15.

donec tertium quum venisset, quasi vim sibi faciens quidnam rei esset aperuit. Philopoemen respondit, gaudentem se Lacedaemoniorum benevolentia, brevi ipsum in urbem venturum, ut cunctis principibus gratias ageret. Revera Spartam profectus et in curiam introductus, voluntatem eorum libenter se excipere affirmavit, dona autem abnuit suasitque, ut amicis liberam vocem relinquenter, inimicos potius pecunia corrumperent<sup>1)</sup>.

Sub idem tempus M'. Acilius Glabrio consul et Flamininus legatus Aegium ad Achaeorum concilium profecti sunt, iisque persuadere studuerunt, ut exsules Lacedaemoniorum in patriam restituerent. Philopoemen, nequaquam odio in exsules commotus, sed tantum beneficium non Romanis sed sibi atque Achaeis debere illos cupiens prohibuit, quominus hoc fieret. Proximo anno ipse praetor creatus sua sponte exsules restituit<sup>2)</sup>.

In conventu illo Aegii habito Aristaenus, qui tunc praetor erat et Romanis favens a Philopoemene dissidebat, civibus suasit, ne quid Romanorum voluntati adversarentur. Fieri enim non posse, ut altera manu hastam, altera caduceum tenentes, amici-

1) Praecclare apud Platarchum respondisse fertur: *συνεργούλευσεν αὐτοῖς μὴ τὸν φίλους καὶ ἀγαθὸν δεκάζειν, ὃν προΐκα τῆς ἀρετῆς ἔξεστιν ἀπολαύειν, ἀλλὰ τὸν πονηρὸν καὶ τὴν πόλιν ἐν τῷ συνεδρίῳ καταστασίδεσσιν ἀνεῖσθαι καὶ διαφθείρειν· ἵνα τῷ λαβεῖν ἐπιστομεσθέντες, ἡττούν ἐνοχλοῦντας αὐτοῖς.* Βέλτιον γάρ εἶναι τῶν ἐχθρῶν παραιρεῖσθαι τὴν παρῆσταιν, ἢ τῶν φίλων. Philop. 15. Pausanias 1. l. minus accurate eum hoc per Timolaum nuntiasse tradit. Cf. Polyb. XXI. 15.

2) Philop. 17. Liv. XXXVI. 35.

tiam cum potentissima illa gente servarent. Quodsi honestum cum utili conjunctum impetrari non posset, stultum esse eum, qui, dum liceret alterutro potiri, neutrum consequi mallet. Quare aut aequo animo potentioribus obsequendum, aut, si fieri posset, quod omnes negarent, armis contra nitendum esse.

Philopoemen utique agnoscebat, Romanos Achaeis multo superiores esse et ipse quidem postulatis eorum, quae a legibus ac foedere suae civitatis non abhorrerent, sine controversia obtemperandum esse censebat. Quoniam vero ipsi Romani libertatem Graecorum palam ac publice proclamavissent et semper foedera ac jura sociorum revereri consuissent, negabat populi sui dignitatis esse, quaecumque contra leges foederaque imperarentur, ultro exsequi. Immo potius rationibus vel, si opus esset, precibus contra contendendum affirmabat; quodsi onnia irrita fuissent, tum demum potentiori cedere honestum putabat. Tempus certe appropinquare dicebat, quo universa Graecia dominorum arbitrio traderetur, se autem pro virili parte annisurum, ne citius talem ignominiam adspiceret. Quod vero Aristaenus omnibus in rebus Romanis obsequeretur et ita patriae interitum maturaret, id indigne se ferre palam significabat <sup>1)</sup>.

Achaei igitur illius auctoritate moti, ut supra vidimus, Romanis quod petebant fortiter negarunt.

---

1) Polyb. XXV. 9.

Philopoemen quintum praetor (a. a. Chr. 189), verosimiliter quo majorem vim foederi adderet, legem tulit, ut in singulis civitatibus quae Achaici concilii essent per vices conventus agerentur; antea enim semper Aegii habebantur, sive ob pristinam urbis dignitatem, sive ob opportunitatem loci id institutum fuerit. Aegienses vero id aegre ferentes, ad consulem M. Fulvium Nobiliorem, qui eo tempore cum exercitu in insula Cephallenia erat, misere, qui ab eo peterent, ne sua privilegia a praetore violari sineret. Consul igitur in Peloponnesum trajecit et quum a Philopoemene Argos, a damiurgis Aegium conventus indiceretur, omnesque fere Argos conventuri viderentur, illuc et ipse concessit; multitudine autem praetoris sententiam sequente, auctoritatem suam interponere non ausus est, sed ad alia negotia se convertit<sup>1)</sup>.

Lacedaemonii enim jamdudum indignati, quod, omnibus civitatibus maritimis sibi ademtis, omnino a mari interclusi atque inde multis difficultatibus impliciti essent, nocte vicum maritimum, nomine Λᾶν<sup>2)</sup>, improviso impetu occuparunt. Licet vero postero die, luce exorta, ab ipsis vicanis et ab exsulibus, qui ibi domicilium habebant, repulsi sint, tantus tamen terror omnes vicos maritimos invasit, ut statim ad Achaeos mitterent, qui rem nuntiarent. Nec diu Achaei, quid sibi faciendum esset, dubita-

1) Liv. XXXVIII. 30. cf. Polyb. XXIII. 10.

2) De illo vico cf. Pausan. III. 24.

vere, sed Philopoemene referente decretum est,  
 "Cum in fidem Achaeorum tutelamque T. Quinctius  
 "et Romani Laconicae orac castella et vicos tradi-  
 "dissent et, cum abstinere his ex foedere Lacedae-  
 "monii deberent, Las vicus oppugnatus esset cae-  
 "desque ibi facta, qui ejus rei auctores affinesque  
 "essent nisi dederentur Achaeis, violatum videri  
 "foedus" <sup>1)</sup>

Quo decreto cognito, Lacedaemonii ira accensi  
 ac simul metuentes, ne Achaei exsulibus urbem tra-  
 derent, triginta homines e factione, quae Philopoemeni  
 favebat, interfecerunt, atque extemplo ad consulem  
 Fulvium miserunt, qui urbem suam Romanis de-  
 derent. Quo facto hiems prohibuit, quominus sta-  
 tim Achaei infesto agmine fines Laconicae ingre-  
 dentur, quum communi consensu bellum decretum  
 esset; passim tamen hostium terram pervagati ac  
 praedati sunt.

Interim Fulvius consul Elin conventum indixit, et  
 post diuturnam altercationem inter Achaeos et La-  
 cedaemonios edixit, ut bello abstinerent, donec Ro-  
 manum legatos ad senatum misissent. Miserunt igitur  
 Achaei Diophanem et Lycontam, quorum alter omnia  
 Romanorum arbitrio permisit, alter Philopoemenis  
 auctoritatem secutus postulavit, ut Achaeis eo jure,  
 quod ab ipsis Romanis sibi initio concessum esset,  
 ut liceret. Senatus pro solita ipsius calliditate  
 res Achaicas quam maxime turbatas cupiens, utri-

---

1) Liv. XXXVIII. 31.

usque gentis legatis anceps ac perplexum dedit responsum.

Achaei igitur Philopoemenem, quum tempus adesset magistratu abeundi, sextum praetorem crearunt<sup>1)</sup> a. a. Chr. 188, et exercitu convocato veris initio Laconicam ingressi, circa Compasium<sup>2)</sup> castra metati sunt.

Praetor legatos in urbem misit, qui auctores defectionis exposcerent, pollicitus, si id fecissent, civitatem in pace futuram, et illos nihil indicta causa passuros. Ii quos depoposcerant, fide a legatis accepta, sponte ex urbe egressi sunt et castra intrarunt, multis aliis ex principibus Spartanis ultro eos comitantibus. Forte autem antesignani agminis Achaeorum plerique ex exsilibus Lacedaemoniorum constabant, qui ut populares suos viderunt, ira accensi statim in eos impetum fecere et septendecim lapidibus obrutos occidere. Reliqui sexaginta tres vix a praetore et legatis e manibus multitudinis erepti, postridie ab infensis judicibus damnati et ad supplicium traditi sunt<sup>3)</sup>.

Quo facto Lacedaemonii terrore perculsi Achaeis se submiserunt, quibus imperatum est a Philopoemene,

1) Liv. XXXVIII. 33.

2) Cf. Polyb. XXIII. 1.

3) Sic Livius XXXVIII. 33. Plutarchus (Philop. 16) narrat, Polybium octoginta Spartanorum, at Aristocratem trecentorum et quinqüaginta eadem factam memorasse. Quum vero Pausanias affirmet, trecentos ex iis, qui auctores fuissent defectionis, e Peloponneso expulsos esse, videtur Aristocrates et eorum qui occisi et qui ejecti essent, numerum in unum coegisse. cf. Pausan. VIII. 50. 3.

ut muros diruerent, exsules restituerent, omnes auxiliares, quibus deinceps tyranni usi essent, dimitterent; servi, quos tyranni liberassent, ante certam diem abirent; qui mansissent, eos comprehendere Achaeis liceret; postremo, ut Lycurgi instituta abrogarent et Achaeorum assuescerent legibus; ita cunctos unius corporis instar omnibus in rebus facilius consensuros.

Lacedaemonii inviti omnia mandata exsecuti sunt; servos, a tyrannis civibus adscriptos, in Achaiam abduxit Philopoemen, tribus millibus exceptis, quos e Laconica exire nolentes comprehendit et sub corona vendidit. Ex ea pecunia porticum refecit Megalopoli, quam olim Spartani everterant <sup>1)</sup>. Ager Belbinates <sup>2)</sup> etiam, quo tyranii antea potiti erant, Megalopolitanis redditus.

Severum igitur in imperio se praestitisce Philopoemenem ex iis, quae tradita sunt, satis constat. Nec Livius nec Pausanias hac de re judicium suum enunciant; Plutarchus praetorem saevitiae et iniquitatis accusat, quod Spartanorum civitatem funditus everterit <sup>3)</sup>.

Quodsi hac in re recte video, multa sunt, quibus Philopoemen excusetur <sup>4)</sup>. Quod enim moenia urbis diruit, nihil fecit contra instituta vetera Spartano-

1) Liv. XXXVIII. 34. Philop. 16.

2) Polybins eum agrum dicit Βελμυστιν χώραν. vid. Lib. II. 54.

3) Philop. 16. Ἐμπιπλέμενος δὲ τῶν Λακεδαιμονίων, καὶ παρ' ἀξιαν πεπραχότων ἐπειρβάνον, τὸ περὶ τὴν πολιτείαν ἔργον ὀμότατον ἐξειργάσατο καὶ παρανομώτατον.

4) Polyb. XXI. 17. Liv. XXXIX. 36, 37.

rum, qui ipsorum civium corpora munimenta urbis esse voluerant. Quod exsules in patriam restituit, e qua injuste fuerant ejecti; quod mercenarios dimisit, qui tyrannidis maximum semper fuerant praesidium; quod servos, a tyrannis suae potentiae stabilidae causa civibus adscriptos, in alia loca migrare jussit et ubi obedire noluerunt, comprehensos vendidit, non facile quis merito reprehenderit. Denique quod attinet ad leges Lycurgi ab eo abrogatas, nonne revera leges illae institutaque jamdudum ab ipsis Lacedaemoniis vel certe a tyrannis fuerant eversa?

Mihi quidem Philopoemen prudenter egisse videtur, qui, quum Spartanos suis utentes institutis semper seditionibus domesticis laborare ac res novas moliri animadvertisset, civitatem ad Achaeorum instituta revocaverit; nec certum, utrum Plutarchus in ea re suo iudicio usus an Aristocratem aliumve auctorem secutus sit.

Lacedaemonii autem sua conditione diu contenti non fuerunt, sed arbitrii etiam Romanorum auctoritatem a Philopoemene imminutam esse, legatos ad senatum misere, qui praetorem accusarent. Hi effecerunt, ut consul M. Aemilius Lepidus litteras daret ad Achaeos, quibus significaret, eos male cum Lacedaemoniis egisse; quare Philopoemen statim legatum misit Nicodemum cum aliis, qui causam Achaeorum defenderent<sup>1)</sup>. Diu hi Romae retenti esse vi-

---

1) Verosimiliter hoc factum, quum Philopoemen septimum praetor erat.

dentur, quum Aristaeno demum praetore, in conventu Achaeorum Megalopoli habito, quid senatus respondisset renuntiarint: senatum nempe aegre quidem ferre caedem ad Compasium factam murosque Lacedaemonis dirutos, nihil autem horum irritum decrevisse<sup>1)</sup>.

Verum haud ita multo post (a. a. Chr. 185) Q. Caecilius Metellus, e Macedonia legatus reversus, quum praetor Aristaenus Achaeorum principes Argos convocasset, eo venit et graviter eos incusavit, quod injuria affecissent Lacedaemonios; postulavit, ut quae peccavissent corrigerent. Aristaenus, cui praetori Achaeorum res tuenda erat, tacuit et silentio suo significavit, sibi etiam displicere quae facta essent. Diophanes Megalopolitanus, odio in Philopoemenem commotus, non tantum cum Lacedaemoniis, verum etiam cum Messeniis male actum esse contendit<sup>2)</sup>. Tum vero ipse Philopoemen et simul Lycortas et Archon tam libere ac luculenter causam dixerunt, affirmantes, quae Achaei fecissent, ipsis Lacedaemoniis expedire nec quidquam horum immutari posse, nisi divina ac humana jura violarentur, ut omnium fere consensu in hanc sententiam responsum legato daretur. Quare indignatus Caecilius, ut concilium gentis sibi concederetur, postulavit. Principes et hoc e suis legibus recusarunt, quia legatus scripta mandata a senatu de ea re non dedisset.

Responso igitur nullo exspectato, Caecilius Ro-

1) Polyb. XXIII. 7.

2) Polyb. XXIII. 10.

mam rediit et in senatu vehementer in Achaeos invectus est. Eodem tempore et Lacedaemoniorum legati Areus et Alcibiades, qui exsules brevi ante ab Achaeis in patriam restituti erant, beneficii immenses, suam civitatem a Philopoemene imminutam planeque exhaustam questi sunt. Altercatione coram senatu exorta, quum legatus Achaeorum, Apollonius Sicyonius, Lacedaemonios nihil indigne passos esse, Caecilio vero e suis legibus conventum dari non potuisse, nec se in ea re quidquam peccasse demonstraret, senatus tandem decrevit, ut legatio mitteatur in Graeciam, cuius princeps esset Appius Claudius.

Anno a. Chr. 184, Lycorta praetore, legati hi in Peloponesum venerunt, et datum est iis concilium Clitore, in Arcadia. Ibi Appio Achaeos accusante, Lycortas pro dignitate magistratus libere atque audacter respondit; sed mox vanam esse istam libertatem, Achaeis a Romanis concessam, patuit, quum legati dicerent magnopere se iis suadere, ut, dum liceret, sponte sua facerent, quae mox inviti facere cogerentur<sup>1)</sup>; quo facto permissum est Romanis, ut quae viderentur de Lacedaemoniis mutarent.

---

1) Liv. XXXIX. 37.

## IX.

---

Brevi post novis difficultatibus districti sunt Achaei; erat enim in Messenia Dinocrates<sup>1)</sup>, vir potens ac factiosus, qui jamdudum aegre ferebat, quod a Philopoemene, quintum praetore, optimatum factio suae patriae oppressa esset. Quare ut ab Achaico foedere suos cives abalienaret, maxime operam dedit, et Romanorum principes conciliare sibi studuit. Imprimis Flaminino se applicuit, cui, quum legatus mitteretur in Asiam ad Prusiam et Seleucum, persuasit, ut suis consiliis faveret. Ubi igitur Naupactum venit T. Quinctius, comite Dinocrate, scripsit ad praetorem damiurgosque Achaeorum, ut concilium genti indiceretur.

---

1) Polyb. XXIV. 5. Plutarch. Flam. 17. Philop. 18.

Philopoemen, qui septuagesimo anno aetatis tunc octavum praetor erat (a. a. Chr. 183), de omnibus rebus jam antea edoctus, neque ignarus Flamininum de Graecia nullum mandatum a senatu accepisse, rescripsit, se statim legato obsecuturum, si indicasset, qua de re convocari vellet Achaeos; sic enim lege magistratibus praescriptum esse. Quod facere non ausus Quintius nihil respondit, sed in Asiam trajecit. Attamen Dinocrates, licet hac spe depulsus, Messenen rediit, civibusque persuasit, ut a societate Achaeorum desciscerent.

Paucis diebus ante Philopoemen, quum a nonnullis aliquis ob rei militaris peritiam magnopere collaudaretur, virtutem illius detrectasse fertur, quod vivus ab hostibus captus esset. Quod dicens nequaquam suspicabatur, simile fatum sibi eventurum.

Ut enim Messenen descivisse ac vicum Colondem<sup>1)</sup> a Dinocrate peti nuntiatum est, praetor, qui id temporus Argis febri laborabat, Lycortam cum exercitu misit fines Messeniorum devastaturum<sup>2)</sup>. Tertio die, quum morbus nondum decessisset, prae animi ardore cohibere se nequivit, et uno die quadringentorum amplius stadiorum itinere confecto, Megalopolim pervenit.

Interea Lycortas hostium fines ingressus erat, sed

<sup>1)</sup> Philop. 18. Livius XXXIX 49, *Coronen* memorat. cf. Pausan. IV. 34.

<sup>2)</sup> Pausan. VIII. 51, 5.

neque illato magno damno neque accepto<sup>1)</sup>, eo ipso tempore domum rediit, quo Philopoemen, celeriter aliquot equitibus Megalopolitanis ex nobilissimis juvenibus delectis<sup>2)</sup>, citato agmine Messenen properabat. Ad collem Euandrum Dinocratem cum suis obviam factum fugarunt; sed quingenti milites, qui agrum Messeniorum custodiebant, subito succurrerunt. Quod ubi viderunt qui primum pulsi erant, statim e fuga se receperunt, atque universi in Achaeos impetum fecerunt. Philopoemen igitur metuens, ne multitudine circumveniretur, simul de equitibus, qui benevolo animo sponte sua ducem secuti erant, sollicitus, recessit per loca impedita et transitu difficilia; ipse, agmen cogens, saepe in hostes irruit eosque omnino in se traxit; attamen cominus eum aggredi non ausi, ingenti clamore eminus eum laceraverunt. Itaque licet ipse facile effugere potuisset, juvenum illorum causa saepius ab equitum turma discedens singulosque, qui longius progressi erant, ad reliquum agmen prosequens, tandem in mediis hostibus solus relictus est.

Nec tamen quisquam manus conserere cum eo ausus est, sed telis eminus missis ad loca confragosa et abrupta eum compulerunt, ubi equus prolapsus in terram eum dejicit. Septuagenarius quidem erat, sed assidua exercitatione corporis vires neque fractae neque imminutae haud impedivissent, quominus se

1) Pausan. VIII. 51, 6. cf. IV. 29, 11, 12.

2) Philop. 18. Pausanias VIII. 51, 5, illum ad sexaginta cetratos et equites secum duxisse tradit.

defenderet; tunc vero longo itinere defessus et morbo vixdum liberatus, tam suo casu quam equi onere oppressus, effugere non potuit<sup>1)</sup>. Capite ictu vulnerato, aliquamdiu nullam emisit vocem, quare hostes arbitrati, eum mortuum esse, corpus spoliare coeperunt. Quum autem capite sublato oculos aperuisset, cuncti superfusi manus ejus in tergo religarunt et vincum irridentes abduxerunt. Quod ubi Messenens nunciatum est, primum adeo incredibilis visa est res, ut vix sanae mentis nuncius haberetur; quum alii deinceps idem affirmarent, quasi non credituri, nisi suis ipsis oculis vidissent, omnes ex urbe egressi sunt et portis clausis agmini obviam occurrerunt.

Tandem, ut virum illum insignem, qui per quadraginta annos Graeciam sua fortitudine sustentaverat, vinculis oneratum, ignominiose protrahi viderunt, misericordia omnes fere cepit; fuere, qui lacrymas etiam funderent, sortem humanam deplorantes, ut cui nulla fides habenda esset. Praeterea recordabantur, quam bene meritus esset de ipsorum patria, tyranno Nabide Messene expulso. Pauci, qui Dino-cratis partibus favebant, excruciatum occidi jubebant, metuentes, ne implacabilis hostis evaderet, si periculum effugisset.

Interea qui Philopoemenem captivum ducebant, paulatim urbi appropinquarent ac vix turbam circumfusam summoventes portas intrarunt, sequente

1) Pausanias 1. l. capite vulneratum ab equo eum decidisse narrat.

reliqua multitudine. Qui a spectaculo exclusi erant clamarunt, cum in theatrum ducendum, ut omnium oculis reformidatus ille vir conspici posset. Dinocrates autem veritus, ne conspectus misericordiam magis etiam moveret suaque consilia impediret, respondit esse quaedam ad summam belli pertinentia, de quibus captivum percontari magistratus vellet; itaque in curiam introductus est.

Variae ibi fuerunt sententiae, quum omnes inopinata re quasi stupefacti nescirent, quid sibi in praesentia statuendum esset. Appropinquante nocte, quum nec quisquam custodiam tanti viri suscipere auderet, nec ceteri uni satis credituri essent, demissus est vincus in thesaurum publicum sub terra<sup>1)</sup>, qui nec aërem nec lucem accipiebat et ingenti saxo machina superimposito claudebatur. Armati præterea circa locum in statione collocati.

Postero die, quum universa multitudo, pristinorum beneficiorum memor, salvum eum remittendum clamaret et per eum remedia quaerenda esse praesentium malorum, Dinocrates et suos et Achacos metuens, inimicum clam e medio tollere statuit. Aperto igitur carcere, servum introduxit, qui venenum Philopoemeni offerret nec discederet, priusquam sumisset.

Senex forte chlamyde amictus recumbebat, non somno, verum moerore ac dolore oppressus. Luce animadversa, ut hominem poculum manu tenentem vidi, ob infirmitatem aegre movere se valens, tamen

---

1) Cf. Welcker. Rhein. Mus. 1834. pag. 469.

ad sedendum se erexit, et accepto poculo tantum e servo quaevisse fertur, numquid de Lycorta et de equitibus audisset; quum ille respondisset et Lycortam et ceteros evasisse, capite annuit et placido vultu "Bene habet," inquit, "siquidem non in omnibus male rem gessimus." Tum nulla amplius voce edita poculum impavidus exhaustus, seque reclinans mox animam efflavit<sup>1).</sup>

Talem exitum habuit Philopoemen, vir omnium suae aetatis integerimus ac libertatis amantissimus. Non diu vero auctores ejus necis victoria sua gavisi sunt.

Equites enim, qui cum praetore incursionis illius tristissimae participes fuerant, ut ducem suum captum ab hostibus animadverterunt, rem per universas concilii Achaici civitates renunciarunt. Achaei igitur, statim legatis missis qui praetorem reposcerent, simul bellum pararunt. Ubi tristis nuncius turpisimae caedis allatus est, gravissimus luctus et moeror omnes civitates cepit et sine mora, Lycorta duce electo, fines Messeniorum ingressi sunt. Nec diu illi restiterunt, quum ipsa multitudo auctores crudelitatis dedere parata esset. Dinocrates se ipse interfecit; reliquis, quotquot Philopoemenem simpliciter occidendum censuerunt, permissum, ut ipsi mortem sibi consicerent; qui autem suppicio addi cruciatus voluissent, hos Lycortas comprehensos secum abdu-

1) De exitu Philopoemis cf. Plutarch. Philop. 18 sqq. Polyb. XXIV. 8, 9. Pausan. IV. 29. VIII. 51. Liv. XXXIX. 48 sqq. Justin. XXXII. 1.

xit, ut interitu suo manes occisi praetoris placarent.

Itaque corpore cremato et cineribus in urnam impositis, Achaei composito agmine domum redierunt; fuit ille redditus laetus ob victoriam reportatam, tristis ob jacturam talis viri. Urnam vittis ac coronis coopertam Polybius, Lycortae filius, portabat, a principibus viris stipatus. Multitudo prosequentium assidue accrescebat, donec Megalopolim pervenerunt; qua ex urbe senes, feminae, pueri permixti agmini obviam facti sunt, tantaque comploratio omnes cepit, ut se communem quasi patrem amisisse significant. Honorifico funere est elatus et ad sepulcrum lapidibus obruti ad mortem sunt Messeniorum captivi, qui tantae crudelitatis auctores fuerant.

## X.

---

Quamquam ex ipsis rebus a Philopoemene gestis, quas enarravimus, ingenium et virtus viri agnoscit possunt, tamen, quo clarius illius effigies adumbratur, nonnulla indicia in unum comprehensa subjicere non supervacaneum videtur.

Jam ab ineunte adolescentia ad agendum se applicuit et vitam ad rerum usum plane conformavit; nec dubitandum, quin institutio, qua ducibus Ecdeimo ac Demophane usus sit, multum ad hunc animi habitum contulerit.

In vita domestica fuit laboriosus, frugalis, sedulus; ut rem familiarem augeret et simul corporis vires exerceret et confirmaret, assidue ruri laborare solebat. In victu et cultu parcus et simplex fuit, cuius rei festivum nobis exemplum tradidit Plutarchus. Quum enim aliquando Megaram profecturus esset,

hospes, apud quem divertere in animo habebat, forte domo aberat. Cujus uxor ubi audivit, praetorem Achaeorum ad se venire, valde turbata, omnes vires intendit, ut pro dignitate tam illustrem virum exciperet. Dum igitur in coena paranda trepidat et festinat, ipse Philopoemen, obsoleta amictus chlamyde, supervenit, quem illa unum e famulis ejus arbitrata rogavit, ut se adjuvaret et manus operi admoveret. Praetor, statim chlamyde abjecta, lignum coepit findere, quem mox hospes ab itinere reversus ut laborantem adspexit, admiratus, "Quid facis," inquit, "Philopoemen?" Cui ille: "Τι γὰρ ἔλλο οὐκαντὶς ὄψεως δίκαιος δίδωμι" <sup>1)</sup>.

Ut ipse parsimoniam et frugalitatem amplectebatur, ita et alios ad eas virtutes hortari solebat; milites parce uti cibariis docuit <sup>2)</sup> et, ut supra vidimus, civium animos ab opulentia et luxu ad armorum cultum ac bellici apparatus splendorem revocavit, arbitratus quippe arma nitida ad terrorem hostibus incutiendum magnam vim habere <sup>3)</sup>.

Veritatis vero semper amantissimus fuit, quo factum, ut, etiamsi pauca modo locutus esset et verba temere ei excidisse viderentur, ea tamen summam haberent fidem et auctoritatem. Ita saepe brevi responso longas adversariorum orationes debilitavit <sup>4)</sup>.

Jam vero rei militaris artisque imperatoriae eum

1) Philop. 2.

2) Suidas in voce *σῆτα*.

3) Polyb. XI. 9.

4) Polyb. XI. 10.

peritissimum fuisse, nemo facile dubitaverit, qui res gestas ejus cognitas habeat. Omnes scriptores, tam Graeci quam Romani, qui de eo commemoravere, hac in re consentiunt. Polybius, Livius, Diodorus Siculus<sup>1)</sup>, Justinus, Plutarchus, Pausanias, Polyae-nus, cuncti militarem ejus prudentiam ac fortitudinem certatim summis extollunt laudibus: et profecto, si recordamur, quae bella contra Lacedaemoniorum tyrannos, contra Aetolos, apud Cretenses feliciter gesserit, inter praestantissimos totius antiquitatis imperatores eum censendum esse agnoscamus.

Animi ejus vis praecipue elucet in eo, quod Achaeos ex inertia et ignavia ad belli ardorem et alacritatem contra hostes revocavit. Ubiunque autem ille bene rem gessit, felix eventus ipsius sollertiae ac prudentiae debetur. Nam quo tempore Philopoemen rem-publicam capessivit, foedus Achaeorum revera in tristissimo statu versabatur. Magistratus propter ignorantiam et nimiam ambitionem officio deerant; ipsi cives militiam detrectabant, Macedonumque reges adulantes vitam in rebus inanibus terebant. Admiranda certe constantia illius viri, qui e tam depravata conditione animos ad majora negotia, ad tuendam libertatem, ad imitandas majorum virtutes permoverit.

Post autem quam Romanorum potentia libertati Graecorum imminere coepit et apparuit, tam validis

---

1) Diod. Sicul. Excerpt. de virtut. et vit. libr. XXX. 575. v. II.  
p. II. p. III. L. Dindorf.

hostibus succumbendum fore, Philopoemen, etsi futurum Graeciae statum optime praevidebat, tamen omnibus viribus contendit, ut patriam quam diutissime ab interitu defenderet.

Eundem, ut prudentem imperatorem, sic optimum quoque militem fuisse, fortitudo ejus in proeliis adversus Damophantum, Eleorum praefectum equitum, et Machanidam, Lacedaemoniorum tyrannum, ab ipso interfectos, luculenter probat. Neque minus sollertia et astutia eum excelluisse, Nabis saepius dolo ab eo circumventus argumento est.

Quemadmodum autem, ut Plutarchi verbis utar, μυρίας μάχας κατορθώσας, οὐδεμίαν ἀμφισβήτησι τῇ τύχῃ πρὸς τὴν ἐπιστήμην ἀπολέλοιπεν<sup>1)</sup>, sic in administranda republica nequaquam minore laude dignus videtur. Egregia enim prudentia Macedonum auctoritatem in Graecia paulatim imminuit, Romanorum autem ingruenti potentiae, quoad fieri potuit, restitit. Bella autem contra Lacedaemoniorum tyrannos eo praecipue gesta videntur consilio, ut omnes Peloponnesi civitates, quasi in unum corpus redactae, conjunctis viribus libertatem melius tueri possent. Diodorus Siculus certe tam prudentiam ejus quam artem militarem summopere laudat<sup>2)</sup>, nec cum illo judicio

1) Plutarch. in compar. Philop. cum Flamin. 2.

2) Diodor. Sicul. Excerpt. de virtut. et vit. libr. XXX. 575. v. II. p. II. p. III. L. Dindorf. "Οτι δὲ Φιλοποιμην, δὲ τῶν Ἀχαιῶν στρατηγὸς, ἀνὴρ ἐγεγόνει φρονήσει καὶ στρατηγίᾳ, καὶ ταῖς ἀλλαῖς ἀρεταῖς διαφέρων, πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον πεπολιτευμένος ἀμέμπτως καὶ πολλάκις μὲν στρατηγὸς ἡξιώθη, τεσσερά-

nimum pugnare mihi videntur, quae Polybius narrat de foedere temere cum Aegypti rege inito.

Quo tempore enim septimum praetor erat, Lycortam cum aliis legaverat, ut foedus cum Aegypti rege Ptolemaeo renovarent; qui quum Aristaeno praetore domum rediissent, in conventu Achaeorum Megalopolis habitu benevolentia regis erga se praedicata, simul splendida dona magistratui obtulerunt. Sed quum plura foedera fuissent Achaeis cum Aegypti regibus, eaque pro temporum ratione variis inita conditionibus, Aristaenus legatos interrogavit, quale foedus renovassent. Quod quum neque legati neque ipse Philopoemen expedire possent, multitudini certe temere atque inconsiderate rempublicam gessisse visi sunt; quare foedus a populo non renovatum est<sup>1)</sup>.

Parum quidem accurate Philopoemen hanc rem tractavisse habendus est; at si reputamus, quam inane tale foedus, ab Aegypti rege eo tempore oblatum, ei videri debuerit, certe haec praetoris negligentia existimationi ejus in republica administranda nocere vix potest.

De integritate viri inter omnes scriptores constat. Praecipue haec elucet in responso, quod dedit Spartanis, quum per Timolaum hospitem bona Nabidis dono dare ei vellent. Et sane, quod nemo fere repertus est qui illud munus offerre ei ausus sit, sa-

κοντα ἔτη τοῦ πολιτεύματος ἡγούμενος· μάλιστα δὲ τῶν ὄλλων εἰς κοινὸν ηὔξηκοις τὴν Ἀχαιῶν συμπολιτείαν, πρός τε τοὺς λόιστας ἡμερώτατα πολιτευόμενος· καὶ δι' ἀρετὴν παρὰ Φωκαῖς ἀποδοχῆς τετευχοῖς.

1) Polyb. XXIII. 9.

tis indicat, quanta reverentia incorruptam illius virtutem vulgo suspicerent.

Polybius etiam tradit, Philopoemenem, quum per quadraginta annos in populari ac vario reipublicae statu cum gloria versatus esset, invidiam tamen civium effugisse. Quod sane fieri haud potuit, nisi communem salutem suis commodis constanter anteposuisse; itaque non tam ad gratiam, quam cum constantia ac libertate res administravit<sup>1)</sup>. Quare mirum videatur quod narrat Plutarchus, eum ex insula Creta reversum, ut ultionem sumeret de Megalopolitanis, quod ipsum ob desertam patriam damnare voluissent, multos vicos vicinos instigasse, ut urbis societatem renunciarent iisdemque, quum morem sibi gessissent, palam in concilio Achaeorum favissee<sup>2)</sup>. Eo minus credibile hoc nobis videatur, si reputemus, eum devicta Lacedaemonie et porticum a Spartanis dirutam Megalopoli restituisse et agrum Belbinatem a tyrannis ademtum iis reddidisse<sup>3)</sup>.

Nimio vero belli amore eum flagrasse, non facile quis neget; at si tempus consideremus quo vixit, id minus in eo reprehendendum fateamur. Patriae enim, cuius amantissimus erat, libertatem sustentare non poterat, nisi assidue in armis esset.

Moenia urbis Lacedaemonis diruta et Lycurgi instituta abrogata Plutarcho in causa fuisse, cur vehementer eum objurgaret, supra vidimus, et licet,

---

1) Polyb. XXIV. 9.

2) Philop. 18. cf. Pausan. VIII. 50, 6.

3) Liv. XXXVIII. 34.

in ipso facinore enarrando, iniquitatis eum absolvere conatus sim, fatendum tamen, eum ita agendo patriae exitium properasse. Sic enim Romanis occasionem praebuit magis magisque rebus Graecorum se immiscendi, quod ipse providere potuisset, nisi animi ardor nonnumquam meliora consilia diremisset. Idem fortasse et de exitu ejus statuendum; nimia enim ipsius temeritate factum videtur, ut in hostium manus inciderit<sup>2)</sup>.

Omnibus tamen ponderatis, merito a scriptoribus tam Graecis quam Romanis *ultimo* Graecorum praedicatus esse videtur, atque amplissimi honores a popularibus ei redditi indicant, quaenam illorum de eo fuerit opinio. Testante enim Livio, sepultus est ab universo Achaico concilio, adeo omnibus in eum congestis humanis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur<sup>2)</sup>, cui rei assentitur Diodorus Siculus<sup>3)</sup>.

Quum igitur multae Philopoemenis statuae in Graeciae urbibus essent, ob constantem populi erga eum benevolentiam non sunt dejectae. Corintho autem a Mummio capta, homo aliquis Romanus, cuius nomen non traditum est, cunctas evertere conatus

1) Cf. Plutarch. compar. Philop. cum Flamin. 1.

2) Liv. XXXIX. 50.

3) Ἀλλ' θμως μετὰ τὴν τελευτὴν ὑπέρει τινὶ θεῖς προνοίᾳ τὰς λαοὺς τιμᾶς ἡλλάσκατο τῶν κατὰ τὴν τελευτὴν διπηγμόταν δικληρωμέτων. Χωρὶς δὲ τῶν κοινῆς τοῖς Ἀχαιοῖς καταφρισθέντων εἰς τιμήν τῶν δρός ή πατρὸς ἰδρύσατο καὶ τοῦ βουθυτείν αὐτῷ κατ' ἐνιαυτὸν καὶ τῆς ἀρετῆς ἔγκωμικ τε καὶ ὅμοιος κατέβειξεν ἔθετο τὰς νέους. Diodor. Sicul. I. 1.

est. Qua de re altercatione orta, Polybius, Lycortae filius, tam luculenter Philopoemenem defendit, ut neque Mummius neque legati honorem ei habatum obscurare ausi sint<sup>1)</sup>.

Denique quanta illius viri fuerit existimatio et fama, abunde efficiatur ex eo, quod a Graecis Latinisque scriptoribus memoriae proditum est, eodem anno (a. a. Chr. 183) tres claros imperatores decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, Scipionem; adeo, inquit Livius, in aequo eum duarum potentissimorum gentium summis imperatoribus posuerunt<sup>2)</sup>.

Postremo, ne hoc omittam, corporis robore nulli Peloponnesiorum inferior, sed idem turpi facie fuisse narratur a Pausania<sup>3)</sup>; quod tamen negat Plutarchus, e simulacro Delphis posito contraria conjiciens. In dubium autem vocari potest, num ea statua, quam post victum Machanidam in honorem victoris positam esse constat, veram viri effigiem expresserit. Ex ipso Plutarcho certe appareat, jam sua aetate opinionem illam de turpi Philopoemenis facie pervulgatam fuisse<sup>4)</sup>. Gracilitatem autem ejus tecte irrisisse videtur Flamininus, quum diceret: "O Philopoemen, ut pulchrus habes manus et crura, at ventrem non habes"<sup>5)</sup>; quem jocum Plutarchus potius ad copias pertinuisse

1) Polyb. XI. 7, 8. Philop. 21.

2) Liv. I. 1. cf. Justin. XXXII. 4.

3) Pausan. VIII. 49, 1.

4) Philop. 2. Ἡν δὲ τὸ μὲν εῖδος οὐκ αἰσχρός, ὡς ἔγιοις νομίζουσιν.

5) Philop. 2.

existimat; peditatum enim atque equitatum semper ei fuisse egregium; pecuniam saepe defuisse.

Tempore Pausaniae, Tegeae in basi statuae dejec-tae, scriptum fuit hoc epigramma:

τοῦδ' ἀρετὰ καὶ δόξα καθ' Ἑλλάδα, πολλὰ μὲν ἀληαῖς,  
πολλὰ δὲ καὶ βουλαις ἔργα ποιησαμένου,  
Ἀρκάδος αἰχμῆτᾶ Φιλοποίμενος, φέρε μέγα κῦδος  
ἔσπετ' ἐνὶ πτολέμῳ, δούρατος ἀγεμόνι.  
μανύει δὲ τρόπαια τετυγμένα διστὰ τυράννων  
Σπάρτας αὐξημένην δέρατο δουλοσύνων.  
ὧν ἔνεκεν Τεγέα μεγαλόφρονα Κραιγίδος νίσν  
στᾶτεν ἀμωμήτου κράντορ' ἐλευθερίας<sup>1)</sup>.

Anno hujus seculi XIII in parietinis urbis Megalopolis repertus est lapis sepulcralis, cuius titulum valde mutilatum primus edidit Boeckhius in Corp. Inscr. Gr. N. 1536. Iterum editus est a L. Rossio, qui simul lapidem istum in ecclesia Sinani asservandum curavit, ac nonnullos versus pliores dedit<sup>2)</sup>. Tandem Carolus Keilius animadvertisit tituli initium consentire cum verbis Diodori Siculi, quae supra in honorem Philopoemenis dicta annotavimus<sup>3)</sup>; et inde probabiliter ostendit, lapidem ad ipsius Philopoemenis sepulcrum pertinuisse<sup>4)</sup>. Quum autem misere mutilata sit haec inscriptio, ipsa verba referre non opus visum est.

1) Pausan. VIII. 52, 6.

2) Cf. L. Rosz. Inscript. inedit. fasc. I. Naupliae, 1834.

3) Vid. pag. 73.

4) Cf. C. Keil. Analecta epigraphica et onomatologica. Lipsiae 1842. pag. 9—39.

## T H E S E S.

---

### I.

Falso Plutarchus in vitae Philopoem. cap. 16, ἐργον  
ἀμύτατον καὶ παρενομώτατον dicit, quod Philopoemen  
instituta Lycurgi abrogaverit.

### II.

Castarum, quae appellantur, institutio non externa  
dominatione introducta, sed e vita patriarchali nata  
esse videtur.

### III.

Thucydides in opere suo conscribendo non usus  
videtur Herodoti historiis.

### IV.

Male Plutarchus Solonis σεισαχθείν dixit χρεῶν  
ἀποκοπήν.

## V.

Lyurgi instituta altius quid spectarunt quam bellicam fortitudinem.

## VI.

Vere Schlosser, Universalhist. Uebersicht der Gesch. der alten Welt I. 2. pag. 81: »Die erste Maszregel des Clisthenes, welche dem democratichen Elemente ein übergewicht gab, war die Vermehrung der Phylen.“

## VII.

Popularis potestas Athenis efficacissima fuit ad aratum et literarum studia promovenda.

## VIII.

Eadem vero haud parum contulit ad augendam civium licentiam et ad reipublicae vires exhauiendas.

## IX.

Aristides prudenter fecit, qui post proelium Plataeense jus honorum cum universis civibus communicavit.

## X.

Non improbandus videtur Alexander Magnus, qui Persarum regno subacto cultum et vestitum Medicum assumxit.

## XL.

Falso Justinus in comparatione Philippi et Alexandri: "amari pater malle, hic metui." Lib. IX. 8.

## XII.

Non assentior Ciceroni in Bruti cap. 12, 45, dicenti: "Pacis est comes otiique socia et jam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia."

## XIII.

Perperam Socrates ἐπιστήμας φέτ' εἶναι πάσας τὰς ἀρετὰς, ὡσθ' ἄμα συμβαίνει εἰδέναι τε τὴν δικαιοσύνην καὶ εἶναι δίκαιον. Aristot. Eth. Eud. 1, 5.

## XIV.

Versus Horatii Ep. II. 2, 199—200 sic legantur:  
Pauperies immunda modo procul absit; ego utrum  
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.

## XV.

Verba Juvenalis Sat. I. v. 113—116.

etsi funesta Pecunia templo  
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,  
Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus  
Quaeque salutato crepitat Concordia nido.

recte se habere nec quidquam in iis mutandum esse  
censeo.

## XVI.

Male a nonnullis *medius fidius explicatur me dins*  
*(Διός) filius.*

## XVII.

Beckero neganti post Servium Tullium clientes ad  
 plebejos pertinuisse non assentior.

Handb. der Röm. Alterth. Th. II. Abth. I. pag. 157 sqq.

## XVIII.

Recte Beckerus *auctoritatem patrum et legem cu-*  
*riatam ante legem Maeniam idem significasse statuit.*

## XIX.

In tradenda pueris historia imprimis praeclarorum  
 virorum vitae exponendae sunt, ut quae ad confor-  
 mandos mores plurimum valeant.

## XX.

In puerorum aemulatione excitanda tenendum est  
 illud Quintilianii dictum: "Licet ipsa vitium est  
 ambitio, frequenter tamen causa virtutum est."



